


14.133



Res 44133(5)

MORALIS CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA,
Traditione, Conciliis, Patribus,
& insignioribus Theologis

E X C E R P T A.

In quâ positis & statutis principiis generalibus
deducuntur consectaria;

Quibus casus conscientiae sigillatim explicitantur.

Auctore R. P. JACOBO BE SOMBES, Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congregatio-
nis præposito Provinciali.


*Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit tecum;
ubi pariter hæsiat, querat tecum; ubi errorem suum
cognoscit, redeat ad me; ubi meum revocet me, &
ita ingrediamur simul charitatis tiam & tendentes ad
eum, de quo dictum est: Quare faciem eus leni-
per. Aug. lib. de Trin. cap.*




Apud G. ROBERT, Liberalium Artium Magistrum
& Typographum, in vico Sancti Iacobi.

M D C C X.

Cum Approbatione & Privilegio.





ORDO.

*Eorum, quæ in hoc quinto Volumine
Continentur.*

T R A C T A T U S De Præceptis Ecclesiasticis.	pag 2
C A P U T . Præliminare. De autoritate Ecclesiæ in Condendis legibus.	3
Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes in Conscientia singulos Baptizatos. <i>Ibi.</i>	
Consecatoria hujus Doctrinæ.	4
Præcepta Ecclesiæ , aut pietatem erga Deum , aut sobrietatem erga nos ipsos , aut justitiam erga proximos præscribunt.	6
C O N S E C T A R I A hujus Doctrinæ.	7
D e Præceptis Ecclesiasticis cultum erga Deum & Sanctos respicientibus.	9
C A P U T I . De primo Ecclesiæ præcepto. <i>ibid.</i>	
Ecclesia habet autoritatem instituendi dies festos.	ibid.
Consecatoria hujus Doctrinæ.	12
Præter peccata & opera servilia Ecclesia diebus Dominicis & Festis vetat ea tripudia , ea spectacula & ea convivia , quæ à solemnitatibus paganorum in festivitates Ecclesiæ malitiâ Dæmonis irrepererunt.	13
Consecatoria hujus Doctrinæ.	15
Ecclesia præcipit , ut diebus Dominicis & Festis fideles præter Missam vacent aliis pietatis operibus.	18
<i>Tom. V.</i>	ā ij

ORDO.

Consecaria hujus Doctrinæ.	19
Describitur quasi historicè, quomodo Ecclesia dies Dominicos & Festos ordinaverit.	21
Quid sit Ecclesia.	22
Quomodo Ecclesia Sacrificium laudis & cor- poris Christi Deo offerat.	23
Quomodo Ecclesia dies feriales & dies Domi- nicos & Festos ordinet.	25
Quomodo ordinentur dies Dominicæ.	27
Quo pacto possint facilè instrui fideles à Pa- rochis.	29
CAPUT II. De secundo Ecclesiæ Præcepto.	30
Quid Missa.	Ibid.
Quotuplex Missa.	32
Præcipitur singulis fidelibus diebus Domini- cis & Festis , sub poena peccati mortalis, ut Missam integrum audiant.	34
Consecaria hujus Doctrinæ.	37
Ut fideles satisfaciant præcepto audiendi Mis- sam , debent ei & modestè quoad corpus ; & devotè quoad mentem , assistere , & ha- bere intentionem actum religiosum exer- cendi.	40
Consecaria hujus Doctrinæ.	41
Omnes fideles , sive justi , sive peccatores , debent sacrificio Missæ , cum Ecclesia præ- cipit , assistere	46
Consecaria hujus Doctrinæ.	47
Impotentia Physica , vel moralis , excusat ab auditione Missæ.	51
Consecaria hujus Doctrinæ.	52
Licet diebus Dominicis & Festis Missæ non interesse ad evitandum grave damnum , vel sibi , vel proximo , vel Reipublicæ obven- turum ex Missæ auditione : damnum , in-	

O R D O.

- quam, vel in anima, vel in corpore, vel
in bonis fortunæ. 53
- Consectaria hujus Doctrinæ. 54
- Nulla est alia causa legitima, quæ excusat
nos ab auditione Missæ. 55
- Diversi modi audiendi Missam utiliter &
fructuosè. 57
- Consuetudo audiendi Missam Parochialeм est
antiquissima, & satis constanter in Ecclesia
observata. 59
- Consuetudo audiendi Missam Parochialeм
multas assert utilitates fidelibus eam obser-
vantibus. 61
- Consuetudo audiendi Missam Parochialeм
potest vim strictæ legis habere, si ita visum
fuerit Ecclesiæ Pastoribus. 62
- Omittere Missam Parochialeм in his Diœcesi-
bus, in quibus sub poena excommunicationis
strictè præcipitur fidelibus, ut eam audiant,
est peccatum grave. 64
- Omittere Missam Parochialeм ex contemptu,
etiam in his Diœcesibus, in quibus non
præcipitur sub poena excommunicationis,
sed solum consulitur, ut exercitium pium
& sanctum, est peccatum mortale. 65
- Nulla videtur esse lex Ecclesiastica generalis,
obligans omnes & singulos fideles ad au-
diendam Missam Parochialeм diebus Do-
minicis & Festis. 66
- Quamvis nulla sit lex generalis, præcipiens
strictè singulis fidelibus, ut singulis diebus
Dominicis & Festis Parochiæ ad audiendam
Missam Parochialeм assistant, iamen hor-
tandi sunt populi, ut huic Officio quam
frequenter poterunt satisfaciant. 67

ORDO.

- CAPUT II.** De præceptis Ecclesiasticis circa
jejunia & abstinentiam à carnibus. 71
- Quid & quotuplex jejunium.** 72
- Omnes omni tempore tenemur observare je-
junium spirituale , situm in abstinentia à
peccato.** 73
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 74
- Præter jejunium spirituale omnes omni tem-
pore tenemur ad jejunium corporale , quan-
do ex testimonio conscientiæ judicatur ne-
cessarium.** 75
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 77
- Tenemur omnes observare jejunium Medi-
cinale , Philosophicum , & Theologicum ,
quoties id judicatur necessarium ad sanita-
tem , ad mentis perfectionem , & ad pietati-
tis exercitium.** 79
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 81
- Ecclesia habet autoritatem instituendi solem-
nia quædam jejunia , quæ Christiani singuli
debent observare juxta modum ab Ecclesia
præscriptum.** 86
- Consectaria , in quibus historicè referuntur
tempora per Ecclesiam jejunis destinata.** 87
- Observanda est abstinentia à carnibus diebus
Rogationum , & quilibet feria sexta & quo-
libet Sabbato , his locis exceptis , in qui-
bus ex consuetudine certis Sabbatis usus
carnium est licitus.** 89
- Hæc carnium manducatio non est ex se mala ,
sed solum ex interdicto Ecclesiae.** 90
- Ad Ecclesiam pertinet determinare , non so-
lum tempora , quibus jejunare nos opor-
tet , sed etiam modum , secundum quem
jejunare nos convenit.** 91

O R D O.

Consectaria hujus Doctrinæ.	92
Non solum jejunium observandum est modo ab Ecclesia præscripto sed etiam ea adjuncta observanda sunt , fine quibus jejunium non potest esse vel salutare , vel meritorium , vel virtuosum.	95
Consectaria hujus Doctrinæ.	96
Observatio jejunii Ecclesiastici obligat Chris- tianos sub peccato mortali , nisi justam ha- beant excusationem.	101
Consectaria hujus Doctrinæ.	104
Tria excusant ab observantia jejuniū Eccle- siastici , infirmitas corporalis , ætatis debi- litas , & necessitas incompatibilis cum je- junio.	108
Consectaria hujus Doctrinæ.	109
Quando tria supradicta non talia sunt , ut ex- cusent à totali jejunii severitate , tunc ser- vanda est ea jejunii austерitas , quæ obser- vari potest.	112
Consectaria hujus Doctrinæ.	113
C A P U T III. De præceptis Ecclesiae circa de- cimas , oblationes , &c.	
Obligatio sustentandi ministros Dei est de ju- re naturali	115
Consectaria hujus Doctrinæ.	116
Fideles tenentur oblationes , primitias & de- cimas Ministris Dei tradere , non juxta le- gis Mosaicæ consuetudinem , sed juxta Ecclesiæ determinationem.	117
Consectaria hujus Doctrinæ.	118
Decimæ penduntur secundum consuetudinem Patriæ	120
TRACTATUS II. De censuris Eccle- siasticis,	121

O R D O.

CAPUT I. De potestate , quam habet Ecclesia , infligendi Censuras.	Ibid.
Ecclesia habet potestatem infligendi censuras,	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	123
Non novus , sed antiquissimus est , tum in Synagoga , tum in Ecclesia censurarum usus.	126.
Consectaria hujus Doctrinæ.	129
CAPUT II. De diversis censurarum generibus.	130
Quid censura juxta autores Ecclesiasticos.	Ibid.
Quotuplex censura.	132
Varia divisio censurarum.	134
De Causis Censurarum.	136
Consectaria ex prædictis illata.	137
CAPUT III. De Causis dispensantibus à censuris.	138
Censura non potest ferri nisi propter aliquod delictum ; & ideo lata contra innocentem est nulla.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	139
Censura lata propter peccatum internum est nulla.	140
Consectaria hujus Doctrinæ.	141
Gravis Censura non potest ferri nisi propter peccatum mortale.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	142
Censura lata propter peccatum non incurritur , nisi peccatum fuerit ultimò completum.	143
Consectaria hujus Doctrinæ.	144
Excommunicatio lata propter peccatum exter- num & mortale est nulla , nisi intervenie- rit contumacia.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	145

O R D O.

- Ignorantia tum juris , tum facti , modo non
sit crassa , sicuti & metus excusant à cen-
suris. 146
- Consectaria hujus Doctrinæ. 147
- Ut quis possit validē ligari censuris , requiri-
tur , ut sit homo viator , compos mentis &
pubes , & ut sit Baptizatus. 148
- Consectaria hujus Doctrinæ. 149
- Solus Superior Ecclesiasticus habens jurisdic-
tionem contentiosam potest ferre censu-
ras. 151
- Consectaria hujus Doctrinæ. 152
- Ut Censura latè Sententia sit valida , tot re-
quiruntur conditiones , quot requiruntur
ad valorem sententiae juridicè prolatæ. 155
- Consectaria hujus Doctrinæ. 156
- Si Christianus coram Deo sit reus criminis ,
ob quod fertur censura , debet se gerere ,
quasi esset censuris innodatus ; si sit inno-
cens , debet potius injuriam pati , quam
scandalum causare. 158
- Ut censura ferendæ sententia , seu commi-
natoria , sit valida , eadem requiruntur con-
ditiones , quæ ad valorem legis. 159
- Consectaria hujus Doctrinæ. 160
- C A P U T IV. *De absolutione à censuris.* 161
- Qui absolvit à censuris debet esse Clericus ,
habens jurisdictionem contentiosam , hoc
debet facere certà scientiâ & sponte. *Ibid.*
- Consectaria hujus Doctrinæ. 162
- A censuris juridicè latis ab homine , ille solus
potest absolvere , qui eas tulit & sibi reser-
vavit , vel ejus delegatus , aut successor ,
aut superior viâ appellationis. 164
- Consectaria hujus Doctrinæ. 165

O R D O.

- A**b omnibus censuris , & irregularitatibus , & casibus reservatis summo Pontifici , potest Episcopus absolvere in foro interiori , modò casus sit occultus & non publicus , exceptâ irregularitate , quæ oritur ex homicidio voluntario. 166
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. 167
- A** quibuscumque censuris latè à jure , modò non sint reservatæ , potest absolvere qui libet sacerdos habens facultatem absolvendi à peccatis. 169
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
- C**APUT V. *De excommunicatione.* 170
- Q**uid & quotuplex sit excommunicatio major. *Ibid.*
- E**xcommunicatio major privat excommunicatum communione gratiæ , Sacramentorum , & precum directè , indirectè vero privat Communione civili. 173
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. 174
- N**emo tenetur vitare excommunicatum , nisi sit nominatim denunciatus , vel ob evidentiā patrati criminis ipso facto excommunicatus agnoscatur. 178
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. 180
- I**n Gallicanæ Jurisprudentiæ praxi non alia admittitur notorietas , quam notorietas juris. 181
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. 182
- P**eccant lethaliter , qui cum excommunicato denunciato communicant , vel in criminē , vel in divinis , vel etiam in civilibus , si fiat in contemptum Ecclesiæ. *Ibid.*
- C**onsectaria hujus Doctrinæ. 183
- L**icet pro excommunicatis in genere orare , sed

O R D O.

non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiae fiunt.	184
Christianus potest citrā peccatum communicare cum excommunicatis, quoties honor Dei, utilitas propria, vel proximi, illud exigunt.	185
Quinque casus; in quibus cum excommunicato licet aliquam Communionem habere.	Ibid.
Excommunicati, sive manifesti, sive occulti graviter peccant, & novas poenas Ecclesiasticas incurront, si pertinaciter contra Ecclesiae veritatem divinis sese velint inferrere.	188
Consectaria hujus Doctrinæ.	189
Excommunicatio minor privat excommunicatum passivâ tantum Sacramentorum participatione.	190
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Monitoria non debent concedi, nisi ob graves causas.	191
Consectaria hujus Doctrinæ.	192
Illi omnes, & soli tenentur sub poena excommunicationis, publicato monitorio revealare, qui ex jure naturæ tenentur ad testimonium ferendum.	193
Consectaria hujus Doctrinæ.	194
Quæ sint observanda, ut quis declaretur incurrisse excommunicationem aliquam ex illic, quæ in Pronao proclamatuntur.	198
Caput VI. <i>De Variis excommunicationibus.</i>	200
Excommunicationes reservaræ in Gallia summo Pontifici juxta Cabassutum communiter receptum.	201

O R D O.

Excommunicationes reservatæ Episcopis in Gallia juxta eumdem.	202
Excommunicationes Papæ reservatæ juxta Bullam in Cœna Domini , quæ Bulla non recipitur in Gallia.	203
Excommunicationes reservatæ summo Pontifici extra Bullam Cœnæ.	204
Excommunicationes aliquæ contra Laïcos nulli reservatæ	207
Excommunicationes nemini reservatæ contra Laïcos & Clericos Seculares & Regulares.	208
C A P U T . VII. De Suspensione.	210
Causæ Suspensionis.	Ibid.
Regulæ , quibus discerni potest , qualis sit suspensio.	Ibid.
Effectus suspensionis.	212
Quomodo tollatur suspensio.	214
Suspensiones latæ contra Clericos propter illicitam ordinis receptionem.	215
Suspensiones latæ contra Clericos propter illicitum exercitium ordinis suscepti.	217
Suspensiones Latæ contra Clericos ratione Beneficiorum.	Ibid.
Suspensiones latæ contra Clericos ex variis defectibus.	218
Suspensiones contra Clericos & Prælatos maiores.	219
Ex parte promotionis ad Episcopatum.	Ibid.
Ex parte Collationis ordinum.	Ibid.
Ex parte Collationis Beneficiorum , aut eorum fructuum	221
Suspensiones , quæ ratione diversorum defec-tuum incurruunt ab Episcopis.	Ibid.
C A P U T VIII. De interdicto.	222
	Interdictum

O R D O.

Interdictum importat privationem Sacramentorum , Divinorum Officiorum , & Ecclesiasticae Sepulturæ.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	223
Interdictum non vetat usum Sacmentorum necessariorum , nec exercitium eorum , quæ possunt fidelium salutem promovere.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Quando plura connectuntur , interdicto loco principali , locus accessorius & contiguus censetur interdictus : sed quando plura disparatè se habent , interdicto uno , aliud non censetur interdictum.	225
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Causæ excusantes ab interdicto.	226
Peccatum & pœnæ eorum , qui violant interdictum.	227
Qui possunt absolvere ab interdicto;	Ibid.
De cessatione interdicti.	228
De casibus , in quibus incurritur interdictum.	Ibid.
C A P U T I X . De Irregularitate.	231
Quid & quotplex irregularitas.	Ibid.
Sexus fæmineus excluditur à receptione ordinum.	232
Viri non baptizati non possunt validè recipere ordines.	233
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Irregularitas ex jure Ecclesiastico est duplex , alia ex defectu , alia ex delicto	235
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Qui voluntati concurrunt ad homicidium , vel mutilationem injustam , non possunt licet ordines recipere , & sunt irregulares ex jure Canonico.	246

O R D O.

- Qui dat operam rei illicitæ , aut etiam licitæ , si non sufficientem adhibeat diligentiam , est irregularis , si sequatur homicidium etiam casualiter. 248
- Qui dat operam rei licitæ , & prudentem adhibet diligentiam , etiam si ex ejus actione sequatur homicidium casuale , non est irregularis. 251
- Irregularitas jure divino nullatenus tolli potest autoritate Ecclesiæ. 254
- Irregularitas jure Ecclesiastico potest tolli ab Ecclesia. Ibid.
- Si proveniat ex delicto occulto , & non deducto ad forum contentiosum , potest tolli ab Episcopo ; minimè vero si proveniat ex defectu , vel ex homicidio directe & involito. Ibid.
- Irregularitas ex defectu natalium tollitur multis modis. 255
- De Depositione. 256
- De Degradatione. 257
- Cessatio à divinis est legitima desistentia ab Officiis Divinis , & ab administratione Sacramentorum. Ibid.
- In quibus casibus cessandum sit à divinis. 258
- TRACTATUS III. De Beneficiis Ecclesiasticis 259
- Definitur Beneficium. Ibid.
- Dividitur Beneficium. 260
- Quot modis conferatur Beneficium. 262
- Clericus , vel sacerdotalis , vel regularis , non potest citrè peccatum gravissimum suscipere Beneficium , si ad illud non sit divinitus vocatus. 263
- Consecratio hujus Doctrinæ. 264

O R D O.

- Clericus , vel sacerdotalis , vel regularis , non
potest citra peccatum recipere Beneficium ,
si sit corruptis moribus. 265
- Consectaria hujus Doctrinæ. 266
- Clericus , sive sacerdotalis , sive regulatis , non
potest citra peccatum suscipere Beneficium ,
si non habeat bonos mores , scientiam &
ætatem competentem , & si haec omnia
possint probari in foro contentioso , Cle-
ricus potest privari Beneficio. 267
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Quo pacto citra crimen Beneficium amitti-
tur. 269
- Quæ crimina privent Clericum suo Benefi-
cio. 270
- Quid & quotuplex resignatio. 271
- Beneficiarius non potest cedere suo Beneficio ,
nisi ob causas Canonicas. 272
- Consectaria hujus Doctrinæ. 273
- Resignatio in favorem ; per quam resignans
designat suum successorem , est illicita & Si-
moniaca , Simonia Ecclesiastica. 274
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Resignatio in favorem maximam habet cum
donatione affinitatem ; idèò iisdem condi-
tionibus constare debet quibus donatio. 275
- Consectaria hujus Doctrinæ. 276
- Permutationes Beneficiorum non possunt fieri
privata conventione partium , sed solùm
autoritate Episcopi , qui non debet eas
approbare , si advertat labem simoniæ in-
tervenire , modo eam possit juridicè pro-
bare , alias cogeretur acceptare. 282
- Consectaria hujus doctrinæ . 283
- Pensiones cum debitiss conditionibus non sunt
ē ij

O R D O.

- illicitæ. 286
 Pensiones super beneficia resignata non pos-
 sunt constitui nisi autoritate summi Pon-
 tificis. 287
Consecrariæ hujus doctrinæ. 288
 Ut pensio sit licita, certæ conditiones sunt
 observandæ. 289
Qui & quot sint **Collatores Beneficiorum in**
Gallia. 290
Quibus regulis adstringuntur **Collatores Be-**
nificiorum in Gallia. 292
Collatores Spiritualem jurisdictionem haben-
 tes, Vg. Papa, Episcopus, Capitulum, eorum-
 que Vicarii, propriè conferunt Beneficia;
 alii, vel solum nominant, vel præsen-
 tant. 293
Consecraria hujus doctrinæ. *Ibid.*
 Rex potest conferre Beneficia multis titu-
 lis. 303
 Patronus potest ad ea omnia Beneficia nomi-
 nare, quorum se Patronum probat, vel
 per instrumenta indubitata, vel per posses-
 sionem immemorialem. 308
 Universitates possunt ad Beneficia, non con-
 fistorialia, & non Patronata, nec per in-
 dultum, vel mandatum reservata, nomi-
 nare. 309
Qui conferunt Beneficia, sive per electionem,
 sive per præsentationem, sive per resigna-
 tionem, debent solam Dei gloriam quæ-
 tere, & majorem Ecclesiæ utilitatem. 312
Consecraria hujus Doctrinæ. 314
 Habere plura Beneficia non est ab intrinseco
 malum, sed ut plurimum multas in se con-
 tinet deformitates. 319

O R D O.

Consecaria hujus Doctrinæ.	322
Qui habet Beneficium , cui annexa est cura animarum , tenet ut residere in loco , in quo est Beneficium.	326
Nihil est , quod ab obligatione residentiae dis- penset , nisi christiana charitas , urgens ne- cessitas , debita obedientia , & evidens Ec- clesiæ , vel reipublicæ necessitas	328
Consecaria hujus Doctrinæ.	329
Nulla est causa validè dispensans à residentia , nisi bonum vel universalis , vel particula- ris Ecclesiæ , aut ingens utilitas reipubli- cæ.	332
Consecaria hujus Doctrinæ , de factis titu- lis non residendi.	Ibid.
De justis titulis non residendi.	335
Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam nul- lum est Beneficium , etiam simplex , quod aliquod ministerium adjunctum non habeat , quod exercendum est ab eo , qui Benefi- cium illud obtinuit.	338
Consecaria hujus Doctrinæ.	339
Beneficium in Commendam est de genere co- rum usuum , quos Trid. Synodus reformati vehementer exoptat.	341
Consecaria hujus Doctrinæ.	342
Secundum præsentem Ecclesiæ usum Benefi- ciarii Commendatarii , præter Communia singulis clericis Officia , speciali obliga- tione tenentur singulas conditiones obser- vare , quæ in Brevi aut Bulla institutio- nis præscribuntur.	347
Consecaria hujus Doctrinæ.	346
Bona quorum Ecclesia habet dominium , hoc ipso quod sunt Ecclesiæ , sacra sunt , nec	

O R D O.

- possunt nisi in usus à Deo , vel ab Eccle-
sia destinatos adhiberi. 352
- S**i Clerici sibi appropient , aut dissipent bona
Ecclesiastica , peccant contra justitiam , &
ad restitutionem tenentur. 356
- S**i Clerici dissipent , aut in pravos usus insu-
mant ea bona , quorum sunt Domini , pec-
cant quidem , sed non tenentur ad restitu-
tionem. 358
- T**RACTATUS IV. *De Praxi Beneficia-
ria juxta Rebuffum.* 360
- C**APUT. I. *Quomodo acquiruntur Beneficia ,
quæve instrumenta ad Beneficium suscipien-
dum sint necessaria.* *Ibid.*
- Ad Beneficium validè suscipiendum necessariæ
sunt litteræ Baptismi , Tonsuræ , & litteræ
dimissoriaræ , si a proprio Episcopo Tonsura
non fuerit collata. *Ibid.*
- De modis , quibus datur Beneficium. 364
- De variis provisionibus , quibus datur Bene-
ficium. 366
- De Provisionibus Papæ circa Beneficia vacan-
tia. 370
- Regulæ cancellariæ receptæ in Gallia. 374
- De provisionibus per commendam. 375
- De unione duorum Beneficiorum , vel dua-
rum. Ecclesiarum. 375
- De erectione Ecclesiæ. 377
- De Translatione. 378
- C**APUT. II. *De modis conservandi Beneficia.* 379
- De rescripto *ad perinde valere.* 380
- De rescripto *subrogationis in litigio.* 382
- De dispensationibus , quibus Beneficia con-
servantur. 383
- De dispensatione ad duo & super ætate. 384

O R D O.

- Dispensatio circa defectum corporis explicatur. 386
- Explicatur dispensatio de non promovendo. 387
- Explicatur dispensatio circa male promotores. 388
- Explicatur dispensatio de non residendo. *Ibid.*
- C A P U T III.** Quomodo amittantur Beneficia. *Ibid.*

МЛ




MORALIS CHRISTIANA,

DE
PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS,
Et de variis homin
statibus.

PROEMIUM.

OMUS iste in duas partes dividetur. In priori agetur de præceptis Ecclesiasticis. In posteriori verò tractabitur de variis hominum statibus. Quælibet pars speciales Tractatus contingit.



P R I M A P A R S
T O M I Q U I N T I .

T R A C T A T U S P R I M U S ,

De præceptis Ecclesiasticis.

Eccllesia, si Scripturam Consulas, Domus est, cuius Pater est Deus; Civitas, cuius Præfectus est Dominus: Regnum, cuius Imperator est Rex Regum & Dominus dominantium: Ecclesia, ovile est, cuius oves ipse Deus custodit: Templum, in quo ipse inhabitat: navis, quam ipse dirigit: sponsa, quam sibi ipse in fide conjunxit: demum Corpus, cuius ipsemet Christus Caput existit. Ecclesia sola est, inquit Gregorius, lib. 35. Moral. in Job. cap. 7. per quam Dominus sacrificium libenter accipiat; sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat sola est, in quâ opus bonum fructuosè peragitur sola est, quæ intra se positos validâ charitatis compage custodit. sola est, in quâ superna mysteria veraciter contemplemur. Hæc sola Corpus est Christi, pro quo ipsum Caput Christus se tradidit in mortem, ut exhiberet ipse sibi gloriosam & immaculatam Ecclesiam. De hac dixit pater Cœlestis: hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Videlicet ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus; Sacerdotes ejus induam salutari & Sancti ejus exultatione exultabunt, Imò omnium Pro-

phetarum promissionis de justitiâ & vitâ ad hanc congregationem seu Ecclesiam pertinent. Ideò, quæ sit ejus autoritas, hîc inquirendum.

CAPUT PRÆLIMINARE.

De Autoritate Ecclesiae in condendis Legibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit Autoritas, quam habet Ecclesia in condendis legibus.

PROPOSITIO unica. Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes in conscientiâ singulos Baptizatos.

Probatur. 1º. Scriptura. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit.* Luc. 10. v. 16. & Matth. 23. v. 2. Super Caïbedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite. Et rursus apud Math. 18. v. 17. *Si quis autem Ecclesiam non audierit; si tibi fecut Ethnicus & publicanus:* ergo Ecclesia habet potestatem condendi Leges, quibus omnes Baptizati, utpote filii Ecclesiae, teneantur obedire.

2º. Ex Tridea scilicet. 6. Can. 20. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesie;* sed tantum credendum; *Quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.*

3º. Ratione. In omni Republicâ bene ordinata debet esse potestas legislativa; plebs

¶ MORATIS CHRISTIANA.
enim non potest sapienter ditigi, nisi per
leges: atqui Ecclesia est Respublica bene or-
dinata; cum sit à Christo Domino instituta;
ergo in Ecclesia debet esse potestas legisla-
tiva.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTORIUM I. Quidquid uni-
versali fidelium consensu suscipitur, habet
viri legis, quam nulli Baptizato licet infrin-
gere: universalis enim Cætus fidelium est Ec-
clesia collectivè. Universalem Ecclesiæ con-
suetudinem tanquam legem irrefragabilem
Apostolus cunctis proponit: *si quis*, inquit 1a.
Ad Corinth. Cap. II. v. 16. videtur contentious
esse; & responderi potest *nos talem consuetudinem*
non habemus, neque Ecclesia Dei. Quo satia
aperte ostendit Apostolus, consuetudinem
Ecclesiæ Legem esse, cui contradicere nulla-
tenus liceat.

Sic 1°. Praxis de vigiliâ in memoriis Marty-
rum. 2°. Mos salutandi in osculo pacis. 3°.
Mos celebrandi Agapes. 4°. Mos abstinenti à
carnibus certis diebus. 5°. Mos jejunandi cer-
tis anni temporibus, non aliundè fluxit, quam
ab universalis Ecclesiæ consuetudine.

CONSECTORIUM II. Quidquid Eccl-
esiæ pastores in Concilio vel generali, vel par-
ticulari, unanimi Ecclesiæ consensione recep-
to determinant, vim habet legis; quia Ec-
clesiæ pastores sunt Ecclesia repræsentativi,
quæ uti habet lumen infallibile in statuendis
fidei canonibus, ita & autoritatem habet ir-
refragabilem in condendis legibus; ideo confi-

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS. 5

denter dicunt pastores: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Act. 15. Sic in Concilio Apostolorum, Act. 15. Statuta est Lex abstinendi à sanguine & suffocatis carnibus, quæ lex diu duravit in Ecclesiâ, postea vero per non usum abrogata est. Sic in Concilio Niceno statuta est lex, *Quod in die dominicâ, & in ipsis diebus Pentecostes fideles Christi resurrectionis memores, non genuflectendo, sed stando, orarent.* can. 20.

C O N S E C T A R I U M III. Quidquid Ecclesiæ pastores præcipiunt extrâ Concilium, vim habet legis, cui subesse tenentur fideles illis Episcopis subditi: de eis enim dictum est Math. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* & Act. 20. v. 28: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Sic festa ab Episcopis instituta, Excommunications ab ipsis infictæ, casus sibi ab ipsis reservati, & alia hujusmodi, vim legis habent in singulorum Dioecesibus. Et cap. *Conquestus de Feriis* dicitur celebrandas esse eas festivitates, *Quas singuli Episcopi suis Dioecesibus, cum Clero, & populo duxerint solemniter venerandas.*

C O N S E C T A R I U M IV. Quidquid summus Pontifex præcipit in bonum totius Ecclesiæ, vim habet legis pro totâ Ecclesiâ, præcipue accedente Episcoporum consensu; Papa enim cum Episcopis consentientibus Ecclesiam representat: divo Petro, ejusque suc-

MORALIS CHRISTIANA:
cessoribus dictum est: quodcumque ligaveris fidem
per terram, erit ligatum & in celis.

Sic, Festa à summo Pontifice instituta, Excommunicationes ab ipso inflatae, Casus sibi reservati, & alia hujusmodi, vim habent leges in totâ Ecclesiâ:

ARTICULUS II.

Ad quot extendantur Leges Ecclesiasticae.

PROPOSITO unica. Præcepta Ecclesiæ, aut pietatem erga Deum dirigunt, aut modum sobrietati & mortificationi erga nos ipsos præscribunt, aut justitiam erga proximos & erga Rempublicam determinant.

Probatur 1^o. Scripturâ. Exercitium quodcumque spirituale ad tres virtutes reduci potest, scilicet ad pietatem, sobrietatem, & justitiam, juxta illud Pauli ad Titum 2. v. 11. Apparuit, inquit, gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, SOBRIE & JUSTE, & PIE vivamus in hoc seculo. Piè quidem erga Deum, sobriè erga nos, & justè erga alios, ut exponit Bernardus: ergo omnia præcepta Ecclesiæ ad tres illas virtutes reduci possunt.

2^o Ratione. Leges positivæ humanæ ut plurimum nihil novi præscribunt, sed solùm legem vel naturalem, vel divinam certo modo determinant; ut patet percurrente leges positivas, tūm civiles, tūm Ecclesiasticas: ergo non incongruè reducimus omnia præcepta Eccl.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS.
elesia ad tria ista Capita ; scilicet, 1^o. Ad ea, quæ pietatem erga Deum dirigunt, 2^o. Ad ea, quæ sobrietatem, continentiam, & mortificationem erga nos ipsos determinant, 3^o. Ad ea, quæ justitiam vel erga Rempublicam, vel erga alios homines constituunt.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Pietas erga Deum: lege tum naturali, tum divinâ cunctis hominibus præcipitur, juxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Pietas erga Deum exigit, ut certos dies divino cultui destinemus; ut actiones aliquas externas ad eundem cultum manifestandum seligamus; & demum ut Sacraenta à Domino nostro Jesu Christo instituta, in signum nostræ Religionis, reverenter certis temporibus, suscipiamus. Tria hæc suis præceptis determinat. Ecclesia, primò certos dies festivos celebrandos instituit; secundò Missæ Sacrificio, Officiisque divinis, aut aliis piis exercitiis, diebus festiis, nos devote assistere præcipit; Demum quibus temporibus Christi Sacraenta debeamus recipere speciali præcepto præfigit.

CONSECTARIUM II. Sobrietas, continentia, mortificatio, pœnitentia &c. Cunctis hominibus imperantur: *Fratres sobri estole, inquit Petrus 1^a. s. v. 8. animas vestras castificantes*, inquit idem Apostolus. 1^a. Petr. 1. v. 22. *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*, inquit Paulus 2. ad Corin. 4. v. 10. Pœnitentiam vero his verbis solemnibus præcipit Christus: *Pœnitentiam*

3 MORALIS CHRISTIANA;

agite Math. 4. v. 17. quæ singula Paulus ad Rom. 13. v. 13. his verbis complexus est: *sicut in die, inquit, honestè ambulemus, non in commessionibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis.* Vagas illas de prædictis virtutibus leges determinat Ecclesia, statuendo alios dies, quibus à carnibus solum abstineamus; alios vero, quibus & à carnibus abstineamus, & jejunio Ecclesiastico corpus maceremus; alios etiam, quos luctui & pœnitentiæ destinemus: demum feligendo tempus, quo nuptias solemniter celebrare nequaquam sit licitum.

CONSEC TARIUM III. Justitia, quâ unicuique reddimus, quod suum est, cunctis hominibus imperatur; primò quidem hæc lege naturaliter insitâ: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* & multis insuper Scripturæ textibus, sed præcipue isto divi Pauli ad Timotheum 1a. Cap. 6. v. 11. *Tu autem homo Dei... sectare justitiam.* Sed vaga justitiæ officia suis præceptis Ecclesia determinat, dum cunctis fidelibus præcipit, ut Ecclesiæ censuras Religioso metu præcaveant, & ab his se absolvi incunctanter enitantur, si quas infelicitè incurrerint. Quæ singula pertinent ad justitiam distributivam, pœnas infilgentem. Jubet insuper, ut singuli fideles Ministris Ecclesiæ, debitum honorarium, v. g. decimas, oblationes &c. pendant. Quæ singula ad justitiam quasi commutativam reducuntur.

Cuncta ergo præcepta Ecclesiæ ad hæc, quæ hic recensentur, referri possunt. I. Dies festos ab Ecclesiâ præscriptos celebrato. II. Missam integrâ singulis festis atque diebus dominicis

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS. ♀

reverenter auditio. III. Sacra mentia, cum opus est, Religiose sumito; peccata semel in anno proprio Sacerdoti confiteor, & Eucaristiam semel falem in anno, idque circa festum Paschale, sumito; matrimonium temporibus prohibitiis ne contrahito. IV. Indicta certis diebus jejunia & à non nullis cibis, quo tempore illorum usus prohibitus est, abstineniam servato. V. Justum honotarium Sacerdotibus pendito.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS quæ cultum Religiosum erga Deum & Sanctos respiciunt.

CAPUT PRIMUM.

In quo explicatur primum Ecclesiæ Præceptum, scilicet.

Dies festos ab Ecclesia institutos celebratos.

ARTICULUS I.

*An Ecclesia habeat autoritatem instituendi
Dies festivos.*

PROPOSITIO unica. Ecclesia habet autoritatem instituendi dies festos, quibus Populus Christianus debet, & à servilibus abstinere, & piis operibus vacare, non secus ac diebus Dominicis.

Probatur 1º. Scripturâ Sinagoga præter dies festos à Domino prescriptos, alios instituit, quibus Judæi & à servilibus vacabant, & piis exercitiis occupabantur: ergo idem præstare potest Ecclesia, quæ haud dubiè non

10 MORALIS CHRISTIANA.

minorem accepit autoritatem à Christo , quam
Sinagoga à Deo. Quod autem festos dies
Sinagoga instituerit, patet ex his; primò , tem-
pore Judith , institutus est festus , quo reco-
lebatur liberatio ab impetu Holofernisi , sic
enim habetur Judith 16. v. 31. Dies autem
victoriae hujus festivitatis , ab Hebreis in nu-
mero Sanctorum dierum accipitur , & collitur à
Judæis , ex illo tempore , usque in præsentem
diem. Secundò , tempore Esther , institutus
est festus , quo Populus liberatus fuit ab im-
pio Aman ; sic enim habetur Esther 16. v. 21.
Hanc enim diem , Deus omnipotens , mæroris &
Luctus , eis vertit in gaudium ; unde & vos ,
inter cæteros festos dies , hanc habetote diem , &
*celebrate eam cum omni latitiae , ut & in poste-
rum cognoscatur. Tertiò , tempore Machabeo-
rum , institutus est festus dedicationis tem-
pli , sic enim habetur 1. Mach. 4. v. 59. Ex-*
*statuit Judas & fratres ejus & universa Eccle-
sia Israël , ut agatur dies festus dedicationis al-
taris in temporibus suis , ab anno in annum.*
Quam festivitatem ipse Christus celebrare non
dignabatur , cum Judæi ipsum in Templo
convenerint , dum fierent Encænia , id est cele-
bratio dedicationis Templi. Joan 10.v.22. Quar-
tò , institutus est festus in memoriam victoriae
relatæ contra Nicanorem , ut habetur 2. Mach.
15. v. 36. Itaque , inquit Textus sacer , *Omnis*
communi Consilio decreverunt , nullo modo diem
istum absque celebritate præterire. Ergo sicut Si-
nagoga dies festos instituit , ita & Ecclesia po-
*test dies festos instituere. Et sicut solemniti-
tates à Sinagogâ institutæ Religiosè observa-
bantur à Judæis ; ita & solemnitates ab Ecce-*

siā institutuæ Religiosè observandæ sunt à Christianis : Si enim , ut dicit Paulus , qui per Angelos id est per Sinagogam , dictus est sermo , factus est firmus , & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem , quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutem , quæ nobis ab Ecclesia confertur per solemnitates , quas instituit 2. ad Hebr. v. 1.

2º. Ex Catechismo Trident parte 3. de festorum observantiâ num. 20. præter dies Dominicos , Alios autem dies festos ab Ecclesiæ initio , & consequentibus deinde temporibus , Apostoli & Sancti Patres nostri instituerunt , ut piè & sanctè Dei beneficiorum memoriam coleremus. Cum autem Christum , Mariam , & Sanctos , inquit idem Catechismus festo aliquo peculiari recolimus , in horum victoriâ Dei bonitas & potentia laudatur , ipsis debiti honores tribuuntur , atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur . Quod autem illorum festorum observantia vim strictæ legis habeat , ex eo patet , quod Concilium Triden. ss. 25. Cap. 12. velit dies festos per Episcopum institutos ab ipsis regulatibus exemptis observati: dies , inquit , etiam festi , quos in Diœcesi suâ servando idem Episcopus præceperit , ab exemptis omnibus , etiam regularibus , serventur .

3º. Ratione. Festivitates Ecclesiæ ob varias ceremonias , quæ his diebus in Templis exercentur , & ob cultum Religiosum , qui Populo præcipitur , sunt ad instar memorialis publici , quo & Dei beneficia recoluntur , & Christi mysteria repræsentantur , & vita Sanctorum cum Christo regnantium imitanda proponitur ; ergo cum ad Ecclesiam pertineat

22 MORALIS CHRISTIANA
cultum omnem Religiosum determinare, ad
eam pariter pertinet Dies Festivos instituere,
qui Dies Festivi observandi erunt, sicut Sab-
atum, si Ecclesia decreverit observandos. Cap.
Licit de feriis.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Principes sacerdotales, Consules, Populus, demum hi omnes, qui habent tantum autoritatem sacerdotalem, possunt quidem dies feriales instituere, minimè verò dies festivos consecrare: possunt dies feriales instituere, quibus, vel in honorem natalis Principis, vel in signum publicæ lætitiae, vel ob alias causas populi abstineant ab omni opere servili, judices ab omni forensi exercitio vacent; & alia hujusmodi exercitia quiescant, quæ singula ad bonum Reipublicæ regimen possunt pertinere; quia ad hæc omnia extendi potest autoritas civilis: sed non possunt dies festivos consecrare, quibus fideles tenentur sub peccato iisdem exercitiis vacare, quibus vacare tenentur, quoties dies festivi ab Ecclesiâ instituuntur; quia festorum institutio ad autoritatem spiritualem pertinet, quæ Principibus sacerdotalibus nequaquam competit.

CONSECTARIUM. II. Dies Festivi ab Ecclesiâ instituti debent eâdem religione observari, quâ Dies Dominici: quia Christus absolutè dixit; si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnieus & publicanus. Etenim si Judæi pari cultu observabant Dies Festivos, institutos à Sinagoga, ac eos, quos Deus celebrandos

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS 13
lebrandos præceperat, quidni idem præstabunt Christiani in festis ab Ecclesiâ institutis?

Quâ autem religione observandi sint dies festivi, diximus in tertio tomo, explicantes tertium decalogi præceptum; ostendimus, quid jus naturale & divinum illis diebus jubeat, quidve interdicat: jam verò ostendendum, quid jus Ecclesiasticum illis iisdem diebus interdicat, quidve jubeat. Ideo sit.

ARTICULUS II.

*Quid Ecclesia interdicat Diebus Dominicis
& Festis.*

PRÆCEPTO unica. Præter peccata, quæ omni tempore prohibentur, præter opera servilia, quæ lege divinâ, diebus festis interdicuntur, Ecclesia his diebus specialiter vetat ea tripudia, ea spectacula, ea convivia, quæ à solemnitatibus paganorum in festivitates Ecclesiæ, malitiâ Dæmonis irrepserunt.

Probatur 10. Scripturâ. Deus rejecit solemnitates Judæorum; ut patet ex Isai. 1. v. 14. *Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molestia; laboravi sustinens.* Ut patet etiam Ex Amos. 5. v. 21. *Odi & projici festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum:* Atqui Deus ideo maximè rejecit solemnitates Judæorum; quia festivitatibus suis admiscuerant paganorum impietas, ut notant idem Prophetæ: *Confundentur enim, inquit Isaias 1. v. 29. ab idolis quibus sacrificaverunt, & erubescetis.*

Tom. V.

B

super hortos, quos ad Sacrificium elegeratis.
Et Amos 5. v. 23. Aufer à me tumultum Car-
minum tuorum; & Cantica Tyræ tuæ non au-
diam; quibus instrumentis utebantur pagani
in suis sacrificiis: ergo Ecclesia sapienter pro-
hibet semper, sed præcipue diebus festis ea tri-
pudia, ea spectacula, ea convivia, quæ à Sa-
cificiis paganorum ad solemnitates Ecclesiæ,
malitiâ Dæmonum, irrepserunt.

2º. Ex Concilio Trid. ff 25. de veneratio-
ne Sanctorum, ubi sic habetur: Sanctorum ce-
lebratione, reliquiarum visitatione, homines ad
comessationes, atque ebrietates non abutantur,
quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum
& lasciviam agantur: ergo Ecclesia interdicit
diebus festis, ea quæ ad luxum, vel lasciviam,
comessationes, vel ebrietates, possent inci-
tare.

3º. Ratione. Festivitates Christianorum nihil
debent ad nittere eorum, quæ ab Idololatriâ
*fluxerunt. Quæ enim, inquit Paulus, parti-
 cipatio iustitiae cum iniuitate? aut quæ societas
 lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad
 Belial, aut quæ pars fidei cum Infidei? De-
 dum qui consensus Templo Dei cum Idolis?
 Atqui Tripudia, spectacula, convivia &c. ma-
 litia Dæmonis in Festivitates Christianorum
 irrepserunt; is enim est, qui, ut sapiens in-
 nuit, Eccles. 33 v. 9. *Immutavit tempora, &*
*dies Festos ipsorum, & effecit, ut impii homi-
 nes Idololatriæ illis ritibus adhaerescentes, dies*
Festos Celebraverunt ad horam vel, ut ait
Divil, Quiescere fecerant omnes Festos Dei à
terri: Ergo Ecclesiæ optimo jure ea omnia
*prohibuit, quæ ab Idololatriâ fluxerunt.**

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Illicita sunt omni tempore profana tripudia , sed præcipue diebus Festis ; eo enim tempore latandum , sed latandum in Domino : *Beatus , inquit David , Populus , qui fecit jubilationem . Beatus qui unum cum habacuc in solo Deo latatut. Ego animum , inquit , in Domino gaudebo , & exultabo in Deo Iesu meo.* Habacuc 3. v. 18. *Lætemur , inquit Aug. diebus Festis , non saltando , sed orando , non potando , sed jejunando.* Et Tertullianus sic Idololatricum illud gaudium insectatur : *Siccine , inquit , exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus ? Hæc cine solemnes dies dicent , quæ alios dies non decent . . . malorum morum licentia pietas erit ; occasio Luxuriæ religio reputabitur.* Apolog. 35.

C O N S E C T A R I U M II. Quamvis Choræ , Comediæ , & alia hujusmodi spectacula non essent ex se prohibita ; ea tamen Ludrica fidelibus interdicit Ecclesia , omni quidem tempore , sed præcipue diebus Festis : Sic enim habetur dist. 1. de consecrat. Can. 67. *Qui die solemni prætermisso solemni Ecclesiæ conventu , ad spectacula vadit , excommunicatur.* Et dist. 3. de consecr. Can. 2. sic legitur : *Irreligiosa Confuetudo est , quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuerit : Populi , qui debent Officia Divina attendere , saltationibus & turpibus invigilant Canii . is ; non solum sibi nocentes ; sed & Religiosorum Officiis persistentes : hoc etenim , ut ab om-*

nibus Provinciis appellatur, Sacerdotum & fidicu-
m, à Concilio Sancto, curæ committitur.
De Christianis, qui modò Divinis Officiis,
modò diabolicis assistunt spectaculis, sic lo-
quitur Aug Lib. 1. de Civ. Dei cap. 35. Modò
cum paganis theatra, modò Ecclesiæ nobiscumque
replentes. Et alibi, Impletur, inquit, Ecclesiæ
& ab ipsis curriunt ad Amphitheatrum. Et ex-
plicans illud Psalmi, 61. v. 5. Ore suo benedi-
cebant, Corde suo maledicebant, hæc habet:
His sunt, qui portant Sacra mentia Christi, &
oderunt præcepta Christi; qui Solemnitatibus
Ierusalem implent Ecclesiæ, & Solemnitatibus
Babylonie implent Theatra. Quam Festorum
profanationem ipsi sacerdotes Imperatores san-
ctissimis legibus interdixerunt: sic enim le-
gitur. c. de feriis 1. finali. Nec hujus tamen,
inquit Imperator, Religiosissimi diei otio rela-
xantes, obscenis quemquam patimur voluptati-
bus detineri. Nibil eodem die sibi vindicet scena
Theatralis, aut circense certamen, aut ferarum
lacrymosa spectacula. Et, si in nostrum ortum
aut natalem celebranda solemnitas inciderit,
differatur. Quod satis judicat Sacratissimos
Imperatores non pati publicis etiam gaudiis
Festivitates Ecclesiæ commaculari. Et ut hæc
lex exactissimè observetur, hanc subjicit
pœnam. Amissionem militiæ, proscriptionemque
patrimonii sustinebit, si quis umquam hoc die
Festo spectaculis interesse tentaverit. Idem
prohibent Edictum Aurelianense art. 23. &
decl. Lud. 14. an 1698.

CONSECTARIUM III. Et si Comes-
sationes sint omni tempore interdictæ; stri-
ctius tamen inhibentur diebus Festis: sic enim

Habet jus Canonicum dist. 44. can. 1. Sunt autem, inquit, commissiones, non solum Sacerdotibus, sed etiam & Laicis noxiæ, qui Festivos & solemnies dies non aliter se dignè celebrare putant, nisi commissationibus deserviant. Quasi, ut optimè notat Aug. enarratione in Ps. 41. num. 9. Excusetur Festivitate Luxuria, in Domo Dei Festivitas sempiterna est; non enim ibi aliquid celebratur & transit, Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens Dei, Lætitia sine defectu: Ergo in contemplatione Dei, quæ nutrimentum est animæ, in audiendo Verbo Divino, quod cibus est hominis Christiani, non in carnalibus commissationibus, peragenda est Festivitatum solennitas.

C O N S E C T A R I U M IV. Et si Ludus, jocus, otium, aliæque mentis relaxationes, corporisque oblectamenta non sint ex se illicita, peccatur tamen graviter, si etiam post missam auditam his recreationibus toto die Festivo indulgeatur, ita illud explicat Cajetanus verbo Festum, ubi sic loquitur. *Licet, inquit, cum abstineniâ à servilibus, solius Missæ cultus sufficiat in Festo, ad evitandum mortale peccatum: tenentur tamen fideles diem expendere in Divinis Laudibus, saltem eundo ad prædicacionem & vesperas.* Vide qui Festes dies post Missam vanè consumuni ludendo, jocando, otiosèque vagando, aut venando, spectaculis intendendo, & hujusmodi, licet ex his operibus, ut potè non servilibus, mortale non incurvant; ex omissione tamen Divini cultus, ad quem Festa instituta sunt, GRAVITER peccant quia non reddunt, quæ sunt Dei, Deo; Et quia

quantum in se est, ridiculo exponunt Christiana Festa; juxta illud: viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbathum ejus. Et hoc præcipue tangit viros graves, & maiores, & Dominos: cæteri namque eos imitanur. Hactenùs Cajetanus.

ARTICULUS III.

Quid ultrà Missam Ecclesia præcipiat diebus Dominicis & Festis.

PROPOSITIO unica. Ecclesia præcipit, ut diebus Dominicis & Festis, fideles præter Missam vacent aliis pietatis operibus.

Probatur 1º. Scripturâ. Memento, ut Diem sabbati, idest, Festivum, sanctifices: ergo dies Festivus debet Domino sanctificari: ergo debet totus Divino Cultui consecrari. Ea quippe, inquit D. Thomas, dicuntur sanctificari, quæ Divino Cultui applicantur. Sicut enim locus Deo sacer non debet, nisi usibus Sanctis inservire; ita dies Deo sacra non debet nisi piis operibus, quantum patitur humana fragilitas, destinari.

2º. Ex jure Canonico, dist. 3. de consecr. can. jejunia, ubi sic legitur. Die Dominicâ, nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum; nulla operatio in illâ die Sanctâ agatur, nisi tantum Hymnis & Psalmis, & canticis spiritualibus dies illa transfigatur.

3º. Ratione: Ecclesia Festivitates instituendo, dies illos Divino Cultui destinat: atqui

dies non potest censerī Divino Cultū desti-
nata , nisi piis operibus transfigatur : ergo præ-
ter Missam, dies illa in exēcēndis pietatis ope-
ribus debet infumi.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Diebus Festivis possūmus occupari in cantandis Divinis Laudi-
bus; ut monet Concil. Turonense. ann. 1583.
oportet, inquit, *omnes Christianos in Laude Dei
& gratiarum actione usque ad vesperam perseve-
rare.* Et capite primo, de feriis, sic habetur: *Om-
nes dies Dominicos à vespere ad vesperam, cùm omni-
ni veneratione decernimus obseruari.* Ideò hor-
tandi sunt Populi, ut unā cùm Clero cantan-
dis Divinis Laudibus, diebus Festis occupen-
tur.

C O N S E C T A R I U M I I. Diebus Festivis possūmus occupati audiendo, legendo,
& meditando Verbo Dei; ea enim fuit & Si-
nagogæ & Ecclesiæ consuetudo, ut semper,
sed præcipue diebus Festis plebs Verbo Dei
audiendo, legendo, & meditando insisteret;
cum enim Esdras voluisset plebem ad Deum
reducere, in solemni Feste verba legis reci-
tat, explicat, & populo meditanda proponit.
*Attulit ergo, inquit Script, Esdras Sacerdos
legem coram multitudine virorum & mulierum,
curvatisque, qui poterant intelligere, in die pri-
mâ mensis septimi, & legit in eo aperiè . . . &
aures omnis populi erant erectæ ad Librum . . .
& Levitæ silentium faciebant in populo ad au-
diendam legem: populus autem stabat in gradus
suo.* Lib. 2. Esdras cap. 8, v. 2. & Act. 13.

legitur, quod Paulus & Barnabas invitari
funt à Judæis, ut post Lectionem Sacram di-
cerent aliquid plebi. Ingressi, scilicet Paulus
& Barnabas, Sinagogam die Sabbatorum se de-
runt. Post lectionem autem legis, & Propheta-
rum, miserunt principes ad eos dicentes: viri
Fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis
ad plebem, dicite. Omni enim tempore, sed
præcipuè diebus Festis exequendum est istud
Divinum monitum: Eruntque verba hæc, quæ
ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narra-
bis ea filiis tuis, & meditaberis in eis . . .
Deut. 6. v. 6. & rursum. Ponite hæc verba
mea in cordibus, & in animis vestris, &
suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos
vestros collocate, docete filios vestros ut ea me-
ditentur. Deut 11. v. 18. Saltem ea est Eccle-
siæ intentio, ut fideles omnes assidue Pu-
blicæ Verbi Divini Prædicationi assistant; si
enim ex Concilio Tridentino, sess. 5. cap.
20. Episcopis, Archipresbiteris, & Parochiis
strictè injungatur, ut Diebus saltem Domi-
niciis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas,
pro suâ & earum capacitate pascant salutaribus
Verbis; Docendo quæ scire omnibus necessarium
est ad salutem, annuniandoque eis cum brevi-
tate & facilitate sermonis, via, quæ eos de-
clinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut
pœnam eternam evadere, & Cœlestem gloriam
consequi valeant. Si, inquam, munus Prædi-
candi Verbum Dei, Episcopis & Parochiis in-
jungatur, consequens est, ut dicit Trid. sess.
24. cap. 4. Teneri unumquemque Parochiæ suæ
interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendam
Verbum Dei.

CONSECTARIUM III. Diebus Festis possumus occupari variis misericordiæ operibus, quibus proximorum miseria sublevetur ; Sic enim grata erunt Deo & Cantica, quæ in laudem ejus canimus, & Verbi Divini auditio, quod in nostri instructionem à Pastoribus suscipimus. Ita jubet Nicolaus primus, scribens ad Bulgaros cap. I. Sanè sciendum, inquit, quoniam idecirco diebus Festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus insistere, Orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad Imitationem eorum affurgere, eloquiis divinis intendere, elemosynas indigentibus ministrare, valeat Christianus. Illud idem inculcat Aug. in illud Psalmi. Omnes gentes plaudite manibus : ubi sic habet : Manus gentium sunt facta bene Operantium, videat, qui gaudia donare dignatus est, si tantum voce, non bene ; quia pięgræ sunt manus ; si tantum manibus, nec hoc bene ; quia muta est lingua ; concordent manus & lingua, ista confiteatur, illæ operenur.

ARTICULUS IV.

In quo quasi Historicè describitur, quo modo Ecclesia dies Dominicos, & Festos ordinaverit.

CUM juxta Augustinum Lib. X. Decivit, Dei cap. 40. Ecclesia dies Festos præscriperit, ut his Dei memoriam consecrare mus, ne volumine temporum ingrata subre-

peret oblitio: idèò, quæ fuerit Ecclesiæ mens, in ordinandis diebus Dominicis, & Festis instituendis, hic quasi Historice Describemus.

§. I.

Quid Ecclesia.

Ecclesia est, non ligna, non lapides, non vasæ, aut alia ejusmodi, quæ in Templo cernimus; sed Ecclesia est plebs, suo adunata Pastori visibili, & Pastor visibilis conjunctus Christo. Hæc autem fidelium collectio Civitas est Sancta, cuius Rex Christus est, cuius Præfecti sunt Pastores, cuius cives sunt credentes in Christum, eique adhærentes. Civitas hæc cives habet ubique dispersos, in Cœlo scilicet, in Purgatorio, & in omnitempore terrarum loco. Qui sunt in Cœlo, ibi plenè purgati regnant cum Christo; qui sunt in Purgatorio, ibi patiuntur, donec plenè purgentur; qui sunt in terris, ibi dimicant, donec coronentur. Ideò Ecclesia dicitur triumphans in Cœlo, militans in terra, patiens in Purgatorio. Ecclesia autem tūm triumphans, tūm patiens, tūm militans, duplex habet Sacrificium, scilicet Sacrificium laudis, & Sacrificium Corporis Christi; quo duplice Sacrificio, laudis scilicet, & Corporis Christi digna est, quæ se offerat per Sacerdotes Christo, & per Christum offerat se Deo.

§. II.

*Quonodo Ecclesia Sacrificium
Laudis & Corporis Christi
Deo offerat.*

Ecclesia Spiritu Sancto directi Sacrificium laudis, & Christi sic partitur.

Laudis Sacrificium perpetuum est in Cœlis, ubi Sancti & Angeli unâ cùm Christo semper laudant Deum, unum in essentiâ, & trinum in personis, & incessabili voce proclamant *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Hac trinâ repetitione, Trinitatem se adorare ostendunt, inquit Ambrosius; & ut incarnationem commemorent, laudes suas in Christo, & cum Christo effundunt, ut quotidiè canit Ecclesia in Missâ: *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates.*

Ecclesia, quæ est in terris, optat laudes suas cùm illo Cantico perenni, quod in Cœlo cantatur, conjungere; idò, ait, *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes, Sanctus, &c.*

Laudis ergo Sacrificium, quod in Cœlis est perpetuum, quotidianum est in Clero. Clerici enim tûm Seculares, tûm Regulares, recitando horas canonicas, septies in die laudem dicunt Deo, imitantes illud Davidis exercitium, qui de se ipso ait: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Laudis Sacrificium, quod in Clero quotidianum est, alternum est in plebe; quippe quæ diebus singulis Dominicis ac Festis convenit in Templum, ut ibi unâ cùm Sacerdotibus laudem dicat Deo suo.

Ecclesia verò patiens in Purgatorio, & beatorum in Christo regnantium auxilium implorat, & Sanctorum in terrâ dimicantium suffragia deprecatur, & sic ex perenni laude quæ in Cœlo peragitur, ex quotidiana laude quæ à Clero cantatur, ex alternâ illâ modulatione, quæ à plebe certis diebus exercetur, & ex continuâ animarum languentium in Purgatorio passione, perpetuum Deo offertur laudis Sacrificium.

Non aliud sibi proponit Ecclesia totius suæ Religionis objectum, nisi Deum, unum in essentiâ, & trinum in personis, & mediatorem inter Deum, & homines, Christum Jesum, & Sanctos amicos Dei, in Cœlo cùm Christo Regnantes. Deum & Christum solum adorat cultu Latriæ, Mariam Virginem Cultu hyperdulie veneratur, Sanctis verò Cultum duliæ tantum impendit. Deum Patrem, qui nos creavit, Deum Filium, qui nos redemit, Deum Spiritum Sanctum, qui nos sanctificavit, unâ & individuâ adoratione, veneratur. Mariam & Sanctos, non ut Deum, sed ut amicos Dei deprecatur. Sacrificium Corporis Christi in cœlo est perpetuum, in Clero quotidianum, in plebe succendentibus sibi diebus Dominicis, & Festis frequenter iteratum.

Sacrificium Christi est perpetuum in cœlo, ab æterno quippe decernitur, cùm Christus toti

toti reparando humano generi destinatur: Incepit in medio temporum, cùm Corpus humanum in cruce immolandum assumit, consummatur in cruce, Dùm innocens hæc viætima manibus Judæorum occiditur; perseverat continuò in Ecclesiâ, Dùm manibus Sacerdotum in Missâ incruentè Sacrificatur; & in perpetuum offertur in cœlo, Dùm Sacerdos ille perpetuus, secundùm ordinem Melchisedec, *apparet vultui Dei pro nobis.*

Sacrificium Christi in clero est quotidianum, cùm clerus tam secularis, quam regularis, quotidie Missam solemnem, nomine totius Ecclesiæ, celebrat, & plures Sacerdotes in Missis non solemnibus, & nomine totius Ecclesiæ, & pro totâ Ecclesiâ, Sanctum illud Sacrificium offerunt.

Sacrificium Christi est alternum in plebe, cum succendentibus sibi diebus Dominicis, ac Festis, plebs suo adunata Pastori in Templum veniat, & Sacrificium illud commemoret.

S. III.

*Quomodo Ecclesia dies feriales & dies Dominicos
& Festos ordinet.*

Ecclesia Cultum erga Deum, & Santos ita sapienter dirigit, ita aptè dies feriales, Dominicanos & Festivos ordinat, ut singulis diebus Deus solemniter à Clero adoretur, & Sancti Publicè invocentur; ut etiam quolibet die Dominico Mysteria Trinitatis, & incarnationis plebi commemorentur; ut quoque singulis annis, Festivitates Christi, Virginis,

& Sanctorum, perpetuâ & succedente sibi commemoratione, populo proponantur: & itâ fine intermissione, & Clerus, & Plebs Divino cultui occupetur. Clerus quâlibet feriâ in Officio Publico, Deum, unum in essentiâ, & trinum in personis, & mediatorem Christum Jesum adorat, Psalmis, Hymnis, & Canticis. In fine cujuslibet Psalmi, trinitatem explicitè confitetur, dicens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.* Idem præstat in fine cujuslibet Hymni, dicens: *Deo Patri sit Gloria, ejusque soli Filio, cum Spiritu paracito*, aut aliud simile, juxta metri diversitatem. Sanctos eo die functos in Martyrologio commemorat, & eos, ut pars est, Laudat, deprecatur, & invocat hac Oratione: *Sancta Maria & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos meremur ab eo adjuvari, & salvari, qui vivit & regnat in Sæcula Sæculorum, amen.* Idem privatim faciunt, qui recitant Officium extrâ Chorum.

Pastor cum plebe quolibet die Dominico, & Festivo, Deum unum, trinum, & incarnatum adorandum, & Sanctos invocandos proponit populo; ideo quolibet die Dominico Symbolum Athanasii Legitur in Officio, & Symbolum Nicænum in Missâ; quo utroque Symbolo Trinitatis, & incarnationis fides explicitâ confessione proponitur, & nostra cum Sanctis, & in Cœlis, & in Purgatorio, & in terris communio annunciatur.

Quolibet anno, Christi Conceptionem, Nativitatem, Circumcisionem, Epiphaniam, seu factam gentibus manifestationem, mortem,

resurrectionem, & in Cœlos Ascensionem re-colimus, item Mariæ Virginis Conceptionem, Nativitatem, Præsentationem, Visitationem ad Elisabeth, beatissimam ejus mortem, & ejus in Cœlos Assumptionem commemoramus.

Item. Quolibet pariter anno omnes solemus Festivitates Sanctorum celebrare, eosque populis invocando proponere, singulos Apostolos, qui Christi fundarunt Ecclesiam; insigniores Martyres, qui eam suo sanguine obsignarunt. Doctores præcipuos, qui eam suâ Doctrinâ illustrarunt; tūm confessores, tūm Virgines; qui eam suâ Sanctitate venerandam reddidere, Festo aliquo peculiari in memoriam revocainus. Angelis in Ministerium missis propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, specialem festivitatem dedicamus. Demum in festo omnium Sanctorum, in commemoratione omnium defunctorum, & Santos in Cœlo regnantes, & animas in Purgatorio detentas, illos omnes simul invocando, pro ipsis omnibus simul deprecando, solemnî festivitate celebramus.

§. I V.

Quomodo ordinentur dies Dominici.

Præter specialem Dominicam adorandæ Trinitati destinatam, singulæ Dominicæ possunt dici dies Trinitatis, & incarnationis; cum singulæ Dominicæ explicitam Trinitatis, & incarnationis contineant confessionem: Ita tamen singulæ ab Ecclesiâ videntur ordinatae,

ut Deum unum in essentiā, & trinum in personis, aut Christi incarnati aliquod Mysterium proponant.

Quatuor Dominicæ adventū commemo-
rant duplēm Christi adventum; primum,
quo venit redempturus genus humanum; se-
cundum, quo veniet iudicaturus vivos, &
mortuos, ut scilicet Christum Redemptorem
redamemus, Christum verò judicem timea-
mas. Sex Dominicæ post Epiphaniam Chri-
stum nobiscum conversantem ostendunt, v. g.
mutantem aquam in vinum in Canā Galilœæ,
leprosos mundantem, fluctus maris pacan-
tem, malos cum Zizaniis, bonos cum bono
fructu, & Doctrinam Evangelicam cum grano
synapi comparantem.

Dominicæ à septuagesimâ usque ad pascha
pœnitentiam continuò prædicant, ut ad com-
munionem paschalem disponamur. Sacerdos
& altaria colore violaceo vestiuntur; ces-
sant Cantica Lætitiaz; cineres sub initium
quadragesimæ capitibus imponuntur; jeju-
nium indicitur; Verbum Divinum frequen-
tiūs prædicator; omnia Luctum in Ecclesiâ
exhibit; ut tām lugubri apparatu ad cordis
contritionem excitemur, & Divinam Eucha-
ristiam, quā decet devotione, in paschate re-
cipiamus.

Dominicæ à Paschate usque ad Pentecosten
Christum suscitatum à mortuis, cum Apostolis
conversantem, & cum eis de Regno Dei,
id est Ecclesiâ, colloquentem ostendunt.

Dominica Pentecostes spiritum Sanctum in
Christi Discipulos ignitis linguis diffusum
exibet.

Dominicæ verò à Pentecoste usque ad adventum varia Christi documenta proponunt, & in singulis orationibus Ecclesia gratiam, ad observanda illa documenta, enixè deprecatur. Inter istas Dominicæ, tempus feligitur, in quo per octavam Festum Corporis Christi celebratur, solemnique Processione divinum illud Sacramentum circumgeritor, ut speciali Festo recolamus, quod quâlibet die in Missâ peragitur. Festum dedicationis Templi peragimus, ut gratiæ agantur Deo quod nostram regionem quondam desertam, ac à Dæmonibus desolatam itâ illustrare dignatus sit, ut etiam in eâ sensibilem domum sibi elegerit, in quâ, & laudari & rogari, & prædicari pacificè possit, in quâ orantes facilius quam alibi exaudiantur, & in quâ omnia Sacraenta, cux sunt origo gratiæ, conferantur. Hæc, si quis rudiiori etiam populo, Historicè narrare voluerit, quilibet fidelis semper obviam, semperque recurrentem nostræ Religionis Historiam, si tantisper attendat, intuebitur.

§. V.

Quo pacto possint facile instrui à Parochis fideles Christiani.

Qui ergo voluerit Curistianam plebem, circa dies Dominicos, & dies Festivos, instruere, Missale legat, & quæ in Missali leguntur eo die Dominico aut Festivo vulgari lingua exponat populo; sic facili, ut dicunt, negotio plebem sibi commissam erudier. Hac methodo utatur per aliquot annos, & uberrimo-

30 MORALIS CHRISTIANA.
ex simplici illâ expositione fructus oriri percipiet : non enim fas est credere nullius frugis esse liturgiam , quam Ecclesia à tot sœculis , fidelibus proponit , & quam Concilium Tridentinum juber populis explicari .

CAPUT SECUNDUM.

*In quo explicatur secundum Ecclesiæ Præceptum ;
scilicet , Missam integrum diebus Festis
atque Dominicis auditio.*

ARTICULUS I.

Quid Missa , & quotuplex.

S. I.

Quid Missa.

Missa , si non spectes , idem est ac missio , seu dimissio , eò quod Diaconus bis per hanc ceremoniam altâ voce clamaret : *Ite , Missa est , Missa seu missio est ; idest ,* cuilibet fas est abire , & quidem Diaconus id dicebat post Evangelium , annuntians gentibus & cathecumenis , ut abirent , eò quod eis non liceret Sacrificio assistere . Rursus Diaconus in fine Sacrificii , dicebat populo : *Ite , Missa est , seu Missio est :* tunc enim cuilibet fidelis permittebatur in sua abire .

Missa , si rem spectes , est Sacrificium incruentum , quo Sacrificium cruentum , in cruce peractum , incruente representatur , & peragitur .

Hæc cærimonia apud græcos vocatur litur-
gia , mistagogia , sinaxis , telete , œconomia
&c. Apud latinos verò dicitur collecta , Do-
minicum , agenda , communio , oblatio.

Missa , si nomen spectes , in usu cœpit esse in
Ecclesiâ , à testio & quanto circiter sæculo : si
quidem Cornelius Epist. ad Lupicinum ait ,
quod propter persecutionem non licebat Chri-
stianis , Nec publicè , nec incryptis notioribus
Missas agere. Et Ambrosius Epist. Olim 13.
Jam 20. ad Marcellinam , ait : Ego Missam fa-
cere cœpi. Et Sermo olim 34. jam 25. dicit : Mo-
neo vos , ut qui sine gravi impedimento poteſt ,
quotidie Missam audiat. Et Aug. Sermon 91.
de tempore , loquitur de lectione , quæ ad
Missas legenda est.

Missa , si rem spectes , semper in Ecclesiâ
servata est , à nocte cœnæ usque ad nos :
Christus enim tunc Accepit panem & gratias
agens , benedixit , fregit , deditque Discipulis
suis. Similiter accepit & Calicem , & benedi-
xit , & dixit : hoc facite in meam commemo-
rationem. Quod ergo jussit Christus fieri , hoc
servarunt Apostoli , qui erant Perseverantes in
Oratione , & in fractione panis. Apostoli usum
illum tradiderunt suis successoribus & isti
aliis : & sic usque ad nos pervenit Sacra illa
cærimonia , in quâ jussu & autoritate Christi
panis & vinum Consecrantur , quam nos cæ-
rimoniâ , Missam appellamus ,

§ II.

Quotuplex sit Missa.

Missa Ratione. Partium , quibus constat ; alia est catechumenorum , alia fidelium.

Missa catechumenorum ea erat pars , in quâ fiebant instructiones , quibus & gentiles & catechumeni assistebant. De hoc itâ , habet Concilium 4. Carthaginense , can. 84. *Episcopus , inquit , nullum prohibeat ingredi Ecclesiam , & audire Verbum Dei , sive gentilem , sive hæreticum , sive judæum , usque ad Missam catechumenorum.*

Missa Christianorum ea erat pars Officii , in quo post instructionem orabatur , & consecrabatur Corpus Christi , de quo itâ Aug. Serm. alias 23. jam 49. cap. 8. Post Sermonem fit Missa catechumenis , id est , dimituntur catechumeni ; manebunt fideles ; venietur ad locum orationis. Et Tertul. Lib. Præscrip. cap. 41. exprobat Marcionitis , quod catechumenos ad integrum Missam admitterent. *Quis fidelis ? inquit , quis catechumenus ? incertum est ; pariter audiunt , pariter orant.*

Missa ratione consecrationis , alia est præsanctificatorum , alia sanctificatorum.

Missa sanctificatorum ea est , in quâ panis & vinum consecrantur , uti fit modò in omni Ecclesiâ latinâ , in cå cæremoniâ , quæ vere Missa dicitur.

Missa præsanctificatorum ea est , in quâ non consecrantur panis & vinum ; sed panis die Sabbathi aut Dominicâ præsanctificatus , per

singulos dics hebdomadœ Deo offerebarur, eo modo, quo in die parœcœves, Hostia die cœnæ consecrata, Deo offertur. Etenim juxta ritum Ecclesiæ græcæ, toto tempore quadragesimali, non consecrabantur panis & vinum, nisi die Sabbathi aut Dominicæ; aliis verò diebus Hostia jam consecrata Deo offerebatur. Ita habet Concilium Laodicenum can. 49. *Non oportet, inquit, in quadragesimâ panem offerre, nisi Sabbatho, & die Dominicæ. Tempus enim illud luctui & pœnitentiæ consecratum, non videbatur aptè consentire cum eo gaudio, quod decet nos perfundi, dum celebramus Sacra Mysteria.*

Missa ratione cærimoniarum, alia est *sicca*, ut dicunt, alia non *sicca*.

Missa *sicca* ea est, in quâ nec panis, nec vinum offertur, sed peraguntur omnes ritus, omnes ceremoniæ, non secùs ac si re vera Missa celebraretur. Idque factum legimus in navibus, ubi ob periculum, ne sanguis consecratus effunderetur, Missa sine consecratio-ne celebrabatur; ideoque Missa *nautica* vocabatur, & non solùm in navibus, sed etiam aliquando in privatis Domibus, pro ægrotis, qui se in Ecclesiam commodè conferre non poterant, imò aliquando celebrabatur hæc Missa in Ecclesiâ, vesperè scilicet, quandò post vespertas sepeliebantur mortui. Hanc Missam approbat Genebrardus lib. de Liturgiâ Apostolicâ cap. 30. eam improbant Cardin. Bona, Estius, & Sylvius, putantque hanc Missam ab indiscretâ & privatâ quorumdam devotione fluxisse: *Larva est, & simulatio Mis-sæ*, inquiunt.

Missa non *secunda* ea est, in quâ panis & vinum consecrantur.

Missa non *secunda* ratione Solemnitatis, alia est solemnis, alia non solemnis, seu privata.

Missa solemnis, quam hodie Conventualem, Canonicam, Capitularem, præcipuam, & majorem vocamus; illa propriè dicitur, quæ cum cantu & solemnî cærimoniarum apparatus, Ministris & Clero assistentibus, suorumque ordinum munia exercentibus, celebrari consuetit.

Missa non *Solemnis*, seu privata, ea est, quæ à solo Sacerdote sine Diacono & Subdiacono & Cantoribus, uno tantum Ministrante, agitur.

Missa sive privata, sive solemnis, alia est, quæ dicitur *parochialis*, alia, quæ vocatur non Parochialis.

Missa *Parochialis* ea est, quæ Festivis & Dominicis diebus horâ designatâ ab Episcopo celebratur, & in eâ sunt instructiones ad plebem, aquâ benedictâ aspergitur populus, panis benedictus distribuitur &c.

Missa non *Parochialis* ea est, inquâ prædictæ cærimoniaz non exercentur.

ARTICULUS II.

De Obligatione Audiendi Missam singulis diebus Dominicis & Festis.

Dispositio I. præcipitur singulis fidelibus diebus Dominicis & Festis, sub pœ-

nā peccati mortalis , ut Missam integrām audiant.

Probatur I. Script. act 20. v. 7. Ubi sic habetur : *Undā autem Sabbati , id est , die Dominicā , cūm convenissēmus ad frangendum panem , id est , Eucharistiam , ut explicat versio syriaca ; Paulus disputabat cūm eis . . . erant autem lampades copiosae in cēnaculo , ubi eramus congregati . Quæ omnia satis indicant scripturam loqui de eo Conventu , in quo Missa celebratur : ergo cūm textus sacer afferat fideles eō convenisse , signum est , fidelibus præceptum esse , ut Missæ Sacrificio diebus festis assisterent .*

2º. Ex Concilio Agathensi. can. 47. Ubi sic habetur : *Missas die Dominico sacerdotibus totas audire speciali ordinatione præcipimus , itā ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat : quod si fecerint , ab Episcopo publicè confundantur . Et ex can. 10. Apostolum habemus , quod fideles in solemnitatibus Scripturas Apostolorum & Evangelium audire debeant : ergo & initio & fini Missæ singuli fideles tenentur assistere .*

Et quamvis in primo Canone fiat tantum mentio de die Dominicā , tamen idem præceptum urget diebus festis ; tūm quia Ecclesia generali lege præcipit , ut diebus festis & diebus Dominicis Missas audiamus ; tūm quia decimus Canon Apostolorum loquitur de omnibus solemnitatibus ; tum demum *Quia cap. 2. De Pastrochiis dies Dominicos à festivis non distinguit.*

3º. Ratione. Missa præcipuus est totius Christianæ Religionis cultus ; quo Deo offer-

36 MORALIS CHRISTIANIS

tur, quid quid habuit lex naturalis simplicius, lex Mosaica Augustius, lex Evangelica Sanctius, & cœlum ipsum sublimius, C H R I S T U S scilicet, promisus in lege naturæ, præfiguratus in lege Mosaïcâ, suscepimus in lege Evangelicâ, & modò regnans in gloriâ; quem promissum præfigurarunt Patriarchæ, venturum prænuntiarunt Prophetæ, natum, conver-santem, patientem, crucifixum, mortuum, & à mortuis suscitatum Prædicarunt Apostoli; quem in cœlum ascendentem, ut regem ag-noverunt Angeli; C H R I S T U S, inquam, au-thor naturæ creatæ redemptor naturæ lapsæ, & glorificator naturæ reparatæ; C H R I S T U S demùm, qui juxta Paulum: *Magnum est pietatis Sacramenum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, Prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.* Ergo meritò præcipit Ecclesia, ut singulis diebus festis omnes fide-les Missæ Sacrificio assistant; in quo tanta of-fertur victima. *Hæc quidem est, inquit Tridentinum, illa munda oblatio, quæ nullâ indig-nitate, aut malitia offerentium inquinari potest;* quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit..... quæ per va-rias Sacrificiorum naturæ & legis tempore simi-litudines figurabatur; ut potè, quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium Consummatio & perfectio, complectitur. sess. 22. cap. 1. De Sacrificio Missæ. *Hæc oblatio, ut canit Ecclesia, fugat scelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapsis, & mæstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, & curvat impe-*

rija

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS. 37
ria. Ergo meritò præcipit Ecclesia , ut fideles diebus festis Missæ assistant , in quâ tam sancta- & insignis offertur victima.

Consecratio hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non est obligatio audiendi Missam diebus ferialibus auctoritate sæculari institutis ; quia non sunt propriè dies Festivi , nequè pariter die Cineturum , die Commemorationis omnium defunctorum ; quia hi. Dies non proponuntur ab universali Ecclesiâ tamquam dies Festivi ; neque feriâ quintâ , sextâ , & Sabbato majoris Hebdomadæ ; neque diebus Rogationum ; quia hi. Dies non proponuntur tamquam Festivi ab Ecclesiâ universali ; quæ omni i magis constant usu quam lege. Dixi ab Ecclesiâ universali : sunt enim Ecclesiæ particulares , in quibus prædictis diebus Missam audire præcipitur , v. g. In Constitutionibus Bracharensibus. tit. 9. De diebus Festis.

Et quamvis die natalis Christi tres Missæ celebrentur ab uno & eodem Sacerdote , sufficit ad observantiam præcepti , ut uni Missæ fideles intersint ; quia Ecclesia non præcipit , nisi ut una Missa audiatur.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant , qui non audiunt Missam integrā : quia habemus ex canonibus Ecclesiæ , quod & fini & initio Missæ fideles debeat assistere ; ut dictum est. Et cum Canon dicat. *Missas totas audire præcipimus.* Mirum est , quod aliqui Doctores excusent à peccato eos , qui , citrâ causam aliquam Missæ partem omissunt.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui varias Missæ partes simul à diversis Sacerdotibus audiunt; Missa enim est actio successivè representans ea quæ in Christi Passione successivè peracta sunt: ergo non licet fidelibus ea simul, ut ita dicam, confundere. Ideò meritò damnata est, & ab Innocentio XI. & à Clero Gallicano sequens propositio. *Præcepto de audiendo sacro satisfacit, qui duas ejus partes, immo quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.*

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui diverso etiam tempore varias Missæ partes diversorum celebrantium conjungunt, ut unam Missam constituant: v. g. finem unius Missæ cùm initio alterius consociant, priori Missæ assistunt à consecratione usque ad finem, posteriori vero Missæ ab initio usque ad consecrationem; postea statim ab Ecclesiâ redundunt, falsò sibi suadentes ex initio prioris Missæ & fine posterioris unam Missam integrum constitui.

Peccant primò; quia tedium illud in rebus divinis animum denotat à rebus sacris penitus alienum: secundò præcepto audiendi sacrum non satisfaciunt; quia Missa unica est actio, quæ citrà necessitatem ab eo debet perfici, à qm inceptra est; undè idem Sacerdos, qui consecrat, idem consummat sacrificium, nisi in syncopem incidat; quo casu tunc Sacerdos, etiam non jejunus, potest species consecratas sumere, & Missam incepitam perficere: ergo sicut celebrans, qui in-

cipit sacerdotium, tenetur illud consummare; ita & Laicus, si velit præcepto audiendi Missam satisfacere, debet ab initio Missæ usque ad finem Sacrificii, unâ cùm celebrante eisdem cærimoniam assistere.

CONSECTARIUM V. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui, dûm commodè possent Ecclesiam ingredi, & unâ cùm multitudine, quæ Missæ assisit consociari, aut extrâ Ecclesiam manent, aut ita longè à sacrificante collecantur, ut nihil corrum, quæ peraguntur in altari, vel videre, et si non sint cœci, vel audire, et si non sint surdi, ullatenus valeant. Peccant primum; ea enim distinctio, quâ nolunt cùm christiana plebe confundi, denotat animum à Christianâ humilitate omnino alienum. Secundum, non satisfaciunt præcepto audiendi sacram; quia Missa actio est, quâ plebs adunata Sacerdoti, communi Societate Sacrificium Corporis Christi Deo Patri exhibet, cuius certè actionis particeps nequaquam censetur esse ille, qui se ita longè à multitudine Missam audientium sejungit; semper enim juxta Scripturam Populus cùm sacrificante conjungitur. Sic juxta Paul. ad Hebræos 9. Populus Moysi proximus assistebat; cum Moyses accipiens sanguinem vitulorum & Hirorum, cùm aquâ, & larâ Coccineâ & Hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit. Sic Populus Salomonis proximus stabat, cum Rex gratias Deo ageret de impletione promissio- nis factæ Davidi. Et convertit, inquit Scrip- tura, Rex faciem suam, & benedixit omnis mul- tudini Israël; nam omnis turba stabat intenta,

lib. 2. Patr. cap. 6. v. 3. Nec legimus Discipulos à Christo longè remotos , dum Sacramentum Corporis & sanguinis sui conficeret : erant enim omnes in eodem Cænaculo , nec fideles se ab Apostolis segregabant , cùm Missam celebrebant : Cur ergo separabunt se Christiani à sacrificante & à populo Missam audiente.

PROPOSITIO II. Ut fideles satisfaciant præcepto audiendi Missam , debent ei , & modestè quoad corpus , & devotè quoad mentem , assistere , & habere intentionem actum religiosum exercendi.

Probatur i. Scripturâ. *Maledictus , qui facit opus Domini fraudulenter , vel ut fert versio Septuaginta , negligenter. Jerem. 48. v. 10.* Ergo hinc patet , ut dicit Trident. *Quanta cura adhibenda sit , ut Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur , & audiatur. sess. 22 Decreto de obvandis & evitandis in celebratione Missæ.*

20. Ex Trident ibidem. *Quod si , inquit , necessariò fatemur , nullum aliud opus adeò Sanctum ac Divinum à Christi fidelibus tractari posse quam hoc ipsum tremendum mysterium ; quod vivifica illa hostia , quâ Deo reconciliati sumus , in altari per Sacerdotes quotidie immolatur ; satis appareat , omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse , ut quantâ maximâ fieri potest , INTERIORI cordis munditia , & puritate , atque EXTERIORI devotionis ac pietatis specie peragatur : Ergo , ut fideles satisfaciant præcepto audiendi Missam , debent ei , & modestè quoad Corpus , & devotè quoad mentem , assistere , & habere intentionem exercendi actum religiosum.*

3^o. Ratione. Missa est actus Religionis, quā Deum ut supremum omnium Dominum veneramur : Atqui actus religionis importat motivum exercendi religionem, ut patet ; importat insuper interiorem mentis affectum, & exteriorem corporis modestiam : juxta illud Psalmi. 83. v. 4. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* cor enim, inquit D. Thomas, pertinet ad actus interiores, caro vero ad exteriores, ut *hic totus homo Deo subjiciatur* : Ergo, ut fideles præcepto audiendi Missam satisfaciant, debent, & devotè quoad mentem, & modestè quoad Corpus, huic tremendo sacrificio assistere, & habere motivum exercendi religionem.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccat, & præcepto audiendi Missam non satisfacit, qui, dum sacram peragit, dormit, confabulatur, & immodesto Corporis habitu, nedum devotionem aliis afflentibus inspirat, sed è contrâ scandalum ingenerat. Non satisfacit præcepto; quia non est in eâ corporis decentiâ, quam ad satisfaciendum præcepto de audiendâ Missâ exigit Trident. Ibid. vetat enim Concilium *Sanctum hoc Sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscumque peragi; nisi prius, qui interficiant, decenter, composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.* Scandalum vero fidelibus ingenerat. In ipsâ etiam dono Dei, & inter tremenda ipsis etiam Angelis Mysteria. Tertendit, ut loquitur Job. cap. 15. v. 25.

Adversus Deum manum suam, & contrà omnipotentem roboratus, encurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Quam Sacrilegum Corporis immodestiam in locis sacratis, & illum impium sacrorum nostrorum contemptum cum exteriori paganorum modestia comparans Jeremias, objurgatoriâ hac apostrophe insectatur; alloquens enim inimodestos illos adoratores, sic habet. *Transite ad insulas Cethim, & videte, si quid simile in eunt Sacrificiis contingat. Et in cedar mittite, ex considerate vehementer, & videcie, si factum est hujusmodi. Si mutavit gens Deos suos, eos scilicet, inter sacrificia irridendo, & cerie ipsi non sunt dii; populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum, aliò scilicet, quam ad Christum in altari oblatum, vagos oculos convertens aut quod pejus est, ipsum Christum elato intuens superciliosusquam impiam immodestiam his fidelibus vocibus ad Cœlos usque desert, & plangit Propheta Sanctissimus. Obstupescite, inquit, cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, dum me manibus Sacerdotum oblatum dedianunt intueri, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ contineare non valent aquas: dum respectâ, quæ in altari offertur, cœlesti victimâ, aliis vanam gloriam venatur, alias Libidinem insectatur.*

Sic culpandi sunt omnino immodesti illi adoratores, qui ridiculam superbiam affectantes, stant, aut sedent in Ecclesiâ, dum per Sacrorum solemnia humilis plebs flexis genibus Deum adorat, & levando puras manus, ejus icam flectere niti cur.

Sic culpandæ magis mulieres illæ , quæ circumornatæ , sicut similitudo templi , altis sedilibus affectant eminere , ut & intuentum oculos ad se attrahant , & cultum , qui soli Deo debetur , injustè sibi arrogant. Dum è contrà Christianæ mulieres , ut dicitur. 1a. ad Tim. 31. *In habitu ornato , cum verecundia & sobrietate ornantes se , & non intortis crinibus , aut auro , aut margaritis , vel veste pretiosa , sed quod decet mulieres , precibus insistunt , ut Divinam misericordiam attrahant.*

CONSECTARIUM II. Præcepto audiendi Missam non satisfaciunt , qui solâ exteriori corporis modestiâ contenti , nullo interiori mentis affectu in Deum moventur : de his itâ Prophetavit Isaïas. 29. v. 13. *Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longè est à me. Et Christus externam illam religionem , interiori pietate omnino vacuam ita maledictis suis rejecit. Væ vobis , inquit , Scribæ & Pharisæi Hypocritæ ; quia similes estis sepulchris dealbatis , quæ à foris parent hominibus speciosa ; intus verò plena sunt ossibus mortuorum , & omnì spurcitiâ Sic & vos à foris quidèm paretis hominibus justi : intus autem pleni estis Hypocriti , & iniquitate. Ideò damnata est à Clero Gallicano an. 1700. sequens prepositio : Satisfacit præcepto de audiendo sacro per reverentiam exteriorum , animo licet voluntariè in alienâ , imâ & pravâ cogitatione , defixo.*

CONSECTARIUM III. Ut satisfaciamus præcepto audiendi Missam , præter exteriorum corporis modestiam consistentem in eo situ , quem Ecclesia exigit , qui situs talis est , ut modò stemus , modò sedeamus , modò genu-

flectamus, modò prosternamur; v. g. Stamus, dum legitur Evangelium; sedemus, dum explicatur; genuflectimus, dum fit Sacrificium; prosternimur, dum Corpus & Sanguis Christi proponuntur populo, ut adorentur; præter illos, inquam, diversos Corporis nostri situs, requiritur, ut externam illam Corporis nostri modestiam interiori aliquo actu Religionis, vel oratione, vel devotione animemus. Sicut enim ex animâ & corpore, homo constituitur; ità ex exteriori & interiori cultu religio coalescit. *Religio enim*, inquit D. Thom. *Habet quidem interiores actus, quasi principales, & per se ad religionem pertinentes; exteriores verò actus, quasi secundarios, & ad actus interiores ordinatos.* 22. q. 81. in Corp. Illi autem actus interiores possunt esse actus, vel fidei, vel spei, vel charitatis, vel religionis, &c. De quibus egimus in secundo tomo, explicantes primum decalogi præceptum.

C O N S E C T A R I U M IV. Præter exteriorem corporis modestiam, præter interiorem mentis affectum, præter interiores actus fidei, spei, &c. Ut satisfaciamus præcepto de audiendo Sacro, debemus præcipue id, quod per Missam repræsentatur, passionem Christi scilicet, mente recolere; is enim est finis, quem debemus in primis, assistendo Missæ, nobis propонere; dixit enim Christus. *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Luc. 22 Ad id enim nos altâ voce compellat Sacerdos, dicens. *Sursum Corda;* & adstantes respondemus. *Habemus ad Dominum.* Ad idem nos hortatur Sacerdos dicens. *Orate Fratres, ut menum, ac vestrum Sacrificium fiat acceptabi-*

le apud Deum patrem omnipotentem. Et Populus respondet. *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suæ Sanctæ;* indicans eō suam intentionem dirigere, ut unā cū Sacerdote Sacrificium suo modo offerat. Nam, ut optimè notat Abbas Guerricus. *Non solus Sacerdos Sacrificat, sed totus Conventus fidelium, qui adfstat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat.*

Ideo docendus est populus, ut quas orationes effundit ad Deum, unum in essentiâ, & Trinum in Personis, & ad mediatorem nostrum Jesum, se Patri in altari offerentem, dirigat. Monendi sunt pœnitentes, monendi sunt Clerici, per Missatum Solemnia, nec illi injunctam pœnitentiam peragant, nec isti horas Canonicas recitent, saltem quoad commodè fieri poterit alio tempore; rati se posse uno & eodem tempore multis & diversis præceptis satisfacere: hæ quippè actiones, ut diversa motiva postulant, ita & diversum tempus exigere videntur. Durante Missâ passionem Christi motivo Religionis recolimus; dum verò pœnitentiam injunctam exequimur, motivo pœnitentiæ agimus, dum verò horas Canonicas recitamus; ducimur motivo vel obedientiæ erga Ecclesiam: vel iustitiæ erga plebem, à quâ redditus Ecclesiasticos accipimus, ut horas Canonicas recitemus. Dixi, quoad commodè fieri poterit; quia cum ad satisfaciendum præcepto de audiendo Missam, sufficiat motivum religionis; & Religio exerceatur, tum recitando horas Canonicas, tum pœnitentiam injunctam exequendo; ille non con-

fendus est in rigore defuisse præcepto audiendi Missam , qui inter Missarum solemnia , de votè recitavit aut horas Canonicas aut injunctam à Sacerdote aliquam etiam orationem .

PROPOSITIO III. Quantumvis Sanctæ sint illæ dispositiones , tūm exteriōres , tūm interiores , cūm quibus eōportet nos sacrificio Missæ assistere ; nullus est Christianus , sive justus , sive peccator , qui ab illâ sacrâ cœrimoniâ debeat abesse , cūm Ecclesia iubet ei assistere : non debet , inquam , abesse , nec prætextu indignitatis , nec prætextu timoris , ne committat majus peccatum , si sine debitiss dispositionibus tanto interset sacrificio .

Probatur 1. Scripturâ. De Missâ debemus loqui , sicuti loquimur de receptione corporis Christi ; cum in Missâ fiat vel realis , vel spiritualis communio : ut docet Trident. sess. 22. cap. 6. *De Sacrificio Missæ.* Atqui omnes , tām justi , quām peccatores debent , vel Sacramentaliter , vel spiritualiter Christi carnem manducare , & ejus sanguinem bibere , juxta illud Jean. 6. v. 54. *Amen , amen dico vobis ; nisi manducaveritis carnem Filii hominis , & biberitis ejus sanguinem , non habebitis vitam in vobis.* Ex præcepto quidem Christi dicentis : *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19. Ex præcepto vero Ecclesiastico , eo tempore , quo Ecclesia determinat : Ergo debemus , sive justi , sive peccatores Sacrificio Missæ interessere eo tempore , quo Ecclesia præcipit. 20. Ex Gregorio 1^a. parte Pastoralis , cap. 6. *Illa est vera humilitas , cum ad responsum , quod utiliter præcipitur , pertinax non est :* Ergo nec prætextu humilitatis fictæ , nec præ-

textu timoris inconsiderati, licet, vel justis, vel peccatoribus ab auditione Missæ abstinere eo tempore, quo eam auditionem Ecclesia præcipit.

3^o. Ratione. Missa est Sacrificium, quo & Deo offerimus, & Christo spiritualiter conjungimur; ergo cum omnes fideles tam justi, quam peccatores debeant Deo offerri. & Christo conjungi; omnes fideles, sive justi, sive peccatores debent Sacrificio Missæ, cum Ecclesia præcipit, assistere.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. De fidelibus justis. Justi, quantumvis perfecti, debent diebus festivis Missæ Sacrificio interesse; tum quia Trident. anathema pronuntiat contrà eos, qui affiruerint, *Hominem justificatum & quantumlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesie.* sess. 6. can. 20. Tum quia, dum justi à Missâ absunt, præter peccati reatum quem incurunt, gratiis, quæ ex tanto Sacrificio ad nos emanant, aditum præcludunt. Missa enim, inquit Trident, sess. 22. cap. 2. est Sacrificium, in quo *Idem ille Christus continetur, & in cruentे immolatur, qui in arā crucis semel se ipsum cruentē obtulit*; quo nihil potest esse ad conservandam & augendam in justis gratiam efficacius. Missa est lignum illud vivificum, in Paradiſo Ecclesie plantatum, ad quod, si justi non spiritualiter accesserint, à vitâ justitiae decident. Missa est Manna illud salutare, quo in Eremo hujus vitæ oporteret justos

48 · M O R A L I S C H R I S T I A N A .
quotidiè nutriti, sed à quo abstinere diebus
festivis nequaquam licet. Agnus est ille spiri-
tualis , cuius figura quotidiè in sinagoga of-
ferebatur , & quotidiè verè in Ecclesia offer-
tur , ut ei fideles spiritualiter diebus Festis
uniantur. Demum Missa panis est ille super-
sustancialis , quo die quolibet nutriti nos
oporteret , sed quem diebus Festis justi de-
bent in Missâ saltem spiritualiter sumere , ut
à defectibus quotidianis præserventur , & con-
trà frequentes tentationes muniantur.

C O N S E C T A R I U M II. De fidelibus, pecca-
toribus sed pœnitentibus. Fideles peccatores ,
quantocumque premantur peccatorū pondere ,
debent , ut ab eā peccatorum sarcinā liberen-
tut , Missæ Sacrificio diebus Festis interesse ;
tum quia Ecclesia solos infideles , & pecca-
tores notoriè excommunicatos arcet à Missæ
Sacrificio ; Tum quia Paulus ad Hebr. x. Ve-
rat fidelibus , ne Collectionem , id est , Missam
Parochialem deserant , ut explicat Clerus Gal-
licanus ; inter quos fideles erant haud dubiè
peccatores ; Tum demum , quia Concilium
Trident. universalem Ecclesiam representans ,
peccatores non à Missâ arcet , sed pluribus
motivis ad eam suaviter allicit : Sic enim ha-
bet sess. 22: cap. 2. Docet Sancta Synodus Sa-
crificium istud , Missæ scilicet , verè propria-
torium esse , per ipsumque fieri , ut si cùm vero
corde , & rectâ fide , cum metu & reverentiâ ,
contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus , mis-
ericordiam consequamur , & gratiam inveniamus
in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione
placatus Dominus gratiam & donum pœnitentie
concedens , crimina , & peccata etiam ingentia di-
mittit.

C O N S E C -

CONSEC TARIUM III. *De his, qui sunt in statu peccati.* Falsum est, quod fideles, qui sunt in statu peccati, novum peccatum committant, quoties Missæ Sacrificio assistunt: Modò externam & internam modestiam servent, quam exigit Trident. Tum quia non requiritur status gratiæ ad implendum præceptum aliarum virtutum diversarum à charitate. *Modus,* inquit Div. Thom, dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, putà sub hoc præcepto; honora. *Patrem tuum & Matrem tuam.* Idem dicit de hoc præcepto: memento, ut diem Sabbati sanctifices; *Non cadit,* quod hoc ex charitate fiat. 2. 2. q. 44. a. 1. ad jum Tùm quia, si opera honesta, elicita à peccatore, vel infideili, non sint peccata, ut desinierunt summi Pontifices; à fottiori, opera Religionis, qualis est auditio Missæ, ab Ecclesiâ imperata, elicita à peccatore, non erunt peccata: Tum quia Ecclesia non modò non juberet, quia imò non permitteret peccatores Missæ interesse, si certum esset eos novo peccato inquinari; sicuti non permittit peccatores communicare in Paschate; quia certum est eos peccare mortaliter communicando: Tum demum quia Ecclesia fidelium etiam inter Missarum solemnia Congregata, non Coalescit ex solis justis, sed est similis sagenæ Missæ in mare, ex omni genere piscium Congreganti; similis agro, in quo & bonum semen, & Zizania seminata sunt; item similis areæ, inquâ frumentum cum paleis continetur; similis adhuc Virginibus, partim fatuis, partim prudentibus; demum representata per arcam Noë.

quā non solum munda, sed etiam immunda
animantia concludebantur; Cū ergo ab illo
cōetu fidelium orantium excludantur solum
infideles, hæretici, & excommunicati, &
retineantur peccatores; consequens est, pecca-
tores non inquinari novo peccato, cum sacris
assistunt Mysteriis.

C O N S E C T A R I U M I V. Non dehor-
tandi sunt peccatores à Missæ Sacrificio, ne
ab illâ sacrâ cærimonîa recedentes irreligio-
sum animum efforment, & à quibuscumque
piis exercitiis alienum; sed ad piè assisten-
dum sacris Mysteriis suaviter alliciendi, ut
sensim Christi patientis commemoratione emol-
liti, à peccatis suis tandem omnino resipiscant.
Astiterunt siquidem passioni Christi Ma-
ria mater Jesu, Maria Cleophae, Maria Mag-
dalene, & Joannes & fortè alii justi; astite-
runt & latrones, astiterunt Centurio & mil-
ites, & quasi raptim interfuerunt judæi &
Prætereuntes blasphemabant eum, movebiles ca-
pita sua, & dicentes; vah, qui destruis templum
Dei. Math. 27. Assistant Sacrificio Missæ jus-
ti, ut in gratiâ crescant & in eâ perseverent;
uti in gratia creverunt, & in eâ persevera-
runt justi, qui Christum morientem viderant.
Assistant Sacrificio Missæ peccatores, ut à pec-
catis convertantur, & corum indulgentiam
consequantur; ubi peccatorum suorum plenam
veniam consequutus est latro pœnitens expi-
rans cum Christo. Assistant Sacrificio Missæ,
quantumvis obdurati & excæcati peccatores;
videant quæ fiunt in Missâ singulas cærimo-
nias tanti Sacrificii seduli examinent, ut illis
idem contingat gratiæ effectus, qui contigit

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS. 51

Centurioni , aliisque custodientibus Iesum : Viso enim terræ motu , & his quæ siebant , immuerunt valde , dicentes : verè Filius Dei erat iste. Math. 27. v. 54. Nullus sit , qui Missæ intersit raptim & prætereundo; nullus qui hanc cærimoniam blasphemet ; nullus , qui sacros illos ritus irrideat : is enim qui id præstaret , non sacrificaret , sed insultaret , non oraret , sed peccaret ; nec præceptum Ecclesiæ observaret , sed contemneret. Et si forte jactaret se Missam audiisse , & ut olim Saül , mendaciter diceret : Implevi Verbum Domini : ei cum Samuele respondendum. Non audisti vocem Domini , sed fecisti malum in oculis Domini.

ARTICULUS III.

De his, quæ excusant ab auditione Missæ , diebus Domicis & Festis.

PROPOSITIO I. Impotentia Physica ; vel Moralis , excusat ab auditione Missæ.

Probatur. 1º. Scripturā. De Præceptis Ecclesiæ dicendum , quod Scriptura dicit de Præceptis Dei : *Mandata ejus gravia non sunt Joan 5. v. Fugum meum suave est , & onus meum Leve. Math. 11. v. 30.* Ergo sicuti Deus non præcipit impossibilia , ita nec Ecclesia. Consequentē ab auditione Missæ excusat impotentia Physica , vel moralis.

2º. Ex Concilio Tridentino. Deus impossibilia non jubet , sed jubendo monet , & facere , quod possis , & petere , quod non possis , & adjuvat , ut possis. sess. 6. cap. II. ergo , cum

Eij

Ecclesia Dei ductum sequatur, non jubet impossibilia.

3^o. Ecclesia est ad instar piae matris: Ergo censetur dispensare fideles à præcepto audiendi Missam, quoties sunt in impossibilitate vel Physicâ, vel morali.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Excusantur ab audiendâ Missâ hi, qui nequequam possunt ad Ecclesiam venire, v. g. Agroti, incarcerati &c. Quia si ad Ecclesiam nequeant omnino venire, sunt in impotentiâ Physicâ. Item qui vel ob longam distantiam ab Ecclesiâ, vel ab difficultatem itineris, vel ob tempus pluvium, aut alia hujusmodi, non possunt nisi difficillimè venire ad Ecclesiam; tunc enim hi sunt in impotentiâ Morali: Singuli tamen, scilicet incarcerati, agroti, & longe ab Ecclesiâ distantes, imitentur primò Danielē, qui cum non posset ire Jerusalēm, Fenestrā apertis in cēnaculo suo contrā Jerusalēm Tribus temporibus in die Flectebat genua, & adorabat, confitebaturque corā Deo suo. Dani. 6. v. 10. Imitentur Ezechiam, qui cum præ morbo ad Templum ire non posset, convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum. 4. Reg. cap. 20. v. 2. Imitentur Iudeos, qui cum non possent ad Jerusalēm ad Festivitates venire, suspirabant, & tali se privatos honore, simul & gaudio vehementer dolebant, ut testatur illud Davidis. Super fluminā Babilonis, illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur ihi son. Psal 136. v. 1.

CONSECTARIUM II. Excusantur ab auditione Missæ hi , qui possunt quidem venire in Ecclesiam , sed qui non admitterentur inter fideles ; tales sunt excommunicati , interdicti &c. Quibus interdicitur sacris interesse. Sed hi debent interius dolere , quod à consortio fidelium excludantur , & tenentur eniti , ut ad fidelium cōctum admitantur , uti fecit , Corinthius incestuosus , qui excommunicatus à Paulo , pœnitentiā suā meruit , ut de eo Paulus sic scribebat ad Corin. 2. v. 6. Sufficit illi , qui ejusmodi est , objurgatio hæc , quæ fit à pluribus , ita ut ē contrario magis donetis , & consolemini , ne forte abundantiori tristitia absorbeatur , qui ejusmodi est ; propter quod obsecro vos , ut confirmetis in illum charitatem.

PROPOSITIO II. Licet diebus Dominicis & Festis , Missæ non interesse ad evitandum grave damnum , vel sibi , vel proximo , vel Republicæ obventurum ex Missæ auditione ; damnum , inquam , vel in anima vel in corpore , vel in bonis fortunæ.

Probatur. 1°. Scripturâ. Deus in veteri testamento excusavit Machabæos , quod die Sabbathi à cultu exteriori abstinuerint , ut vitam suam contrâ hostes Religionis tuerentur : Ergo & in novo Testamento excusabit eos , qui à Missâ exterius aberunt , quoties ex tali assistentiâ damnum aliquod grave sequeretur

2°. Habemus ex praxi Ecclesiæ , ut notat Cornelius Papa ad Lupicinum , quod non celebrabatur Missâ , cum prudenter timebatur tyrannorum persecutio : Ergo Ecclesia non censetur obligare nos ad audiendam Missam ,

3º. Ratione. Præceptum audiendi Missam est positivum: Ergo non urget, quoties ex ejus observantiâ ingens damnum sequeretur, vel in animâ vel in corpore, vel in bonis fortunæ: Nequè enim tam injustos legum latores fuisse credendum est, ut necessitate perstringerent ea, quæ præstare non possunt.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Ea omnia, ob quæ licitum diximus vacare servilibus, excusant nos ab auditione Missæ, quando tanta est necessitas, ut non possimus suspendere opera servilia, ut Missam audiamus. Vide quæ circâ opera servilia diximus, tomo 3. de 2º. decal. præcepto. art. 4.

CONSECTARIUM. II. Excusantur ab auditione Missæ, qui ex tali auditione prudenter timent secuturum damnum aliquod, vel spirituale, vel Corporis, vel fortunæ, vel honoris; quia Ecclesia non censetur obligare ad audiendam Missam cùm eo periculo. Sic ab auditione Missæ excusantur. 1º. Ob damnum spirituale, matrēs, quæ prudenter timent, ne filiarum pudicitia periclitetur, nisi cùm eis totâ die remanserint. 2º. Ob damnum corporale, convalescentes, quibus foras exire maximè noceret; nutrices, quæ ab infantibus, quos nutriunt, aut ab ægrotis, quibus ministrant, nequeunt sine magno eorum periculo recedere. 3º. Ob damnum honorum fortunæ, Hi, qui gregibus custodiendis invigilant; qui

domos longè ab Ecclesiâ remotas custodiunt, cum periculum est aut peritum gregem incidiâ, aut diripiendam esse domum à latronibus. Quo in casu oportet, ut ubi celebantur duæ Missæ, alii primæ, alii secundæ inter sint. 4°. *Ob damnum honoris*, Is, qui vio lenter & indecorè raperetur in carcerem, filia prægnans, cujus occulta fornicatio palam fieret, & publicè proderetur.

Quia tamen istæ omnia ab exteriori solum Missæ assistentiâ excusant, nequaquam verò ab illo interiori cultu, quo oportet nos semper, sed præcipue diebus Dominicis & Festis, ergà tale Sacrificium esse affectos, qui corpore absunt à Missâ, debent Missæ mente assistere, uti faciebant veteres illi Monachi & Eremitæ, qui procul ab Ecclesiâ in vastâ solitudine degentes, ubi nec Sacerdotes, nec altaria erant ad Missas celebrandas; sed ubi nullus erat inter tot Sanctos viros, qui Missæ Sacrificium non recoleret.

M O N I T U M præter impotentiam vel Physicam, vel Motalem; præter dæmnum, vel in animâ, vel incorpore, vel in honore, vel in bonis fortunæ, nulla est alia causa legitima, quæ excusat nos ab auditione Missæ; aliæ quippè causæ inventæ sunt *ad excusandas excusationes in peccatis*.

Sic impotensia culpabilis, in quam quis se voluntariè projecit, quamvè retractare noluit, non excusat ab auditione Missæ, quia, ut diximus in primo tomo, qui vult causam, vult & effectum. Sic homo prævidens se non posse audire Missam, si vinum immoderatè bibat, bibendo immoderatius sit impotens ad

audiendam Missam, non excusatur ex tali impotentia culpabili. Item excommunicatus, qui negligit, imò contemnit Ecclesiæ satisfacere, ut absolvatur ab excommunicatione impediente, ne Missam audiat, non excusat ex tali impotentia culpabili.

Sic consuetudo, quam vel vanitas, vel negligentia induxit, non excusat ab auditione Missæ, v. g. consuetudo, vel potius corruptela, quā viduæ toto anno Luctū Ecclesiæ non adeunt, & interim vacant & Domi, imò & foris, rebus Domesticis, non excusat vi-duas ab auditione Missæ, ut dicit D. Carolus Borromæus. Item sunt parentes ita in educandis filiis negligentes, ut nihil curent, an Missam audiant, necne: Hæc negligentia, nec parentes, nec filios excusat: etenim hoc ipso quod ad annos discretionis pervenerunt, infantes tenentur ad observanda mandata Ecclesiæ, ut diximus in primo tomo tract. 4. cap. 2. a 2. conf. 3. ut habetur expressè in capite *Omnis utriusque sexus*. De pœnit. & remiss. ubi sic legitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua solus peccata saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti... suscipiens reverenter ad ministris in Paschâ Eucharistiæ Sacramentum*. Et quamvis ibi tantum fiat mentio de confessione & Eucharistiâ; tamen Doctores communiter docent universali Ecclesiæ praxi, infantes adulos etiam ante annos pubertatis teneri ad observanda alia Ecclesiæ præcepta; Si præ ætate possint ea observare. An subjiciantur censuris,

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS. 17
quæ infliguntur ab Ecclesiâ , dicitur , ubi de
censuris.

ARTICULUS IV.

*Proponuntur diversi modi audiendi Missam
utiliter & fructuose.*

PRIMUS modus audiendi Missam fructuose est Communio Spiritualis ; quâ desideramus uniri Christo Spiritualiter , eosdemque elicimus actus interiores , quos solemus elicere , dum Christum Sacramentaliter recipimus. Modum illum utiliter audiendi Missam proponit Trident. sess. 22. cap. 6. *Illæ quoque , inquit , Missæ , in quibus scilicet solus Sacerdos Sacra mentaliter communicat , verè communes censeri debent ; partim quod in eis Populus SPIRITUALITER communicet ; partim verò quod à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum , sed pro omnibus fidibus , qui ad Corpus Christi pertinent , celebrentur.* Itaque monendi sunt populi , ut inter Missarum solemnia in eosdem actus erumpant , ad quos solent se excitare , dum Christum realiter communicando suscipiunt.

Secundus modus audiendi Missam fructuose est cærimoniarum , quæ in Missâ peraguntur , attenta consideratio , seria meditatio , & pia ergâ saeros illos ritus reverentia. Modum illum audiendi utiliter Missam proponit Trident. ss. 22. cap. 5. *Cumque , inquit , natura hominum ea sit , ut non facile queat sine administrationis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustollî ; propterea pià Mater Ecclesiâ*

ritus quosdam . . . Mysticas benedictiones , Eun-
mina , thymiamata , vestes , aliaque id genus
multa , ex Apostolica disciplina & traditione
instituit . Quo & majestas tanti sacrificii com-
mendaretur , & mentes fidelium per hæc visibi-
lia religionis & pietatis signa , ad rerum altissimarum , quæ in hoc Sacrificio latent , con-
templationem excipientur . Ideoque præcipit
Pastoribus , ut populum doceant , quis sit , & à
quo potissimum proveniat sanctissimi hujus sa-
crificii tam pretiosus . ac Cœlestis fructus . De
decreto Missæ .

Terius modus utiliter audiendi Missam
est , quod fidelis quilibet Sacerdoti Legenti
& oranti se conformet , recitando scilicet pre-
ces , quas recitat , & Legendo documenta ,
quæ legit , animumque devotè his omnibus
applicando . Eam methodum utiliter audiendi
Sacrum proponit Clerus gallicanus ; cum
typis excudi jussit & latino & gallico idiomate
ea , quæ in Missâ & leguntur , & recitantur :
ut & qui sciunt latine & qui eam linguam
ignorant , inter Missarum solemnia & legere ,
& recitare , & meditari valeant , quæ Sacer-
dos in nomine Christi & Ecclesiæ legit , orat ,
& recitat .

Quartus modus utiliter audiendi Missam est ,
ut fidelis quilibet Sacerdotem , ut gerentem
personam Christi , uti re verâ gerit , conside-
ret , eique devoto affectu uniatur . Christus ab
initio Missæ ad Epistolam usque apparet , ut
POENITENS , petens pro nobis à patre
Spiritum pénitentia , dum dicitur Confiteor
&c. Ab Epistolâ usque ad oblationem , appa-
ret , ut DOCTOR ; docet enim per Episto-

Iam & Evangelium, quæ ad salutem sunt necessaria. Ab oblatione usque ad consecrationem, apparet ut SACERDOS; tunc enim offert se Patri in salutem omnium. A consecratione usque ad Pater, apparet ut victimæ; tunc enim exhibetur Patri, ut Agnus occisus. A Pater usque ad communionem, apparet ut CIBUS & POTUS fidelium; dat enim suam carnem in cibum, & suum sanguinem in potum. A communione usque ad finem Missæ, apparet ut REMEDIUM; tunc enim reali, vel spirituali communione, fidelis quilibet reperit in Christo efficacissimum contrà singulas suas infirmitates remedium.

ARTICULUS V.

De Missâ Parochiali.

Missa Parochialis est ea, quæ celebratur in Ecclesiâ Parochiali, horâ ab Episcopo determinatâ, in quâ fiunt preces speciales à Parocho, & à Pepulo, & instructiones circa Mysteria Religionis, fiunt processiones, panis benedictus distribuitur, annuntiantur Festa, jejunia, &c.

P R O P O S I T I O N I I. Consuetudo audiendi Missam Parochialem, est antiquissima, & sat constanter in Ecclesiâ observata.

Probatur 1^o. Scripturâ de fidelibus Jerusalem dicitur: *Erant autem perseverantes in Doctrinâ Apostolorum, & communicatione fratrum panis, & orationibus.* Act. 2. v. 42. Paulus verò ita arguit eos, qui se ab invicem à Conventu publico separabant. *Non simus de-*

60 MORALIS CHRISTIANA.
serentes collectionem nostram, sicuti consuetudinis est in quibusdam: Ad hæb. 10. v. 25.

2°. Ex Tertuliano. Coimus, inquit, in cætum & congregationem, ut ad Deum quasi manu-falta precationibus ambiamus orantes; & hæc vis grata Deo est. Apolog. cap. 39 quod siebat per Missam, cui omnes assistebant. Cyprianus vero ita Ecclesiam fidelium definit. Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex inhærens. Epis. alias 169. nunc 66. quod utique fit in Missâ Parochiali, cui omnes intersunt.

3°. Ex Conciliis. Concilium Eleborica. an. 305. can. 21. ita habet. Si quis in civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non acceſſerit, paucò tempore abstineat, ut correpius esse videatur.

Concilium Sardic. an. 347. can. 11. vel 14. ita loquitur. Si quis Laicus in aliquâ urbe agens, tribus diebus Dominicis, in tribus hebbomadiis non conveniat, is Communione moveatur. Et Concilium Trullanum eamdem pænam infligit his verbis. Si quis Episcopus, vel præbiter, vel Laicus, nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficile, ut à sua Ecclesiâ absit Diutissime, sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis unâ non conveniat, si sit quidem clericus, deponatur, si vero Laicus, segregetur. can. 80.

4°. Summi Pontifices eundem erga parochiam amorem cunctis fidelibus inspirant. Sic enim Sextus IV. loquitur. Extravag. de Treugâ & pace: cap. Vices illius. Fratres mendicantes non Prædicent, populos Christianos non teneri Missam in Parochiis, diebus Festivis & Dominicis,

Dominicis audire cùm jure causum sit illis diebus
Parochianos audire Missam in eorum Parochiali
Ecclesiâ, nisi forsà ex honestâ causâ ab ipsâ
Ecclesiâ se absentarent.

Demùm Concil. Trid. ff. 22. cap. de ob-
servandis & evitandis in Missâ, ait. Moneant
eiam cumdem populum, ut frequenter ad suas
Parochias, saltem diebus Dominicis, & majo-
ribus festis, accedant. Et ff. 24. cap. 4 de
Reform. Moneatque, ait, Episcopus populum di-
ligenter teneri unumquemque Parochie suæ in-
teresse, ubi id commode fieri possit, ad audiendum
Verbum Dei. Et cap. 7. Inter Missarum solemnia,
sacra eloquia & salutis Monita eadem vernacula
lingua diebus Festis vel solemnioribus expla-
nent.

PROPOSITO II. Consuetudo audiendi
Missam Parochialema multas assert utilita-
tes fidelibus, eam observantibus.

Probatur inductione, percurrente aliquas
Missæ Parochialis prærogatiwas. Missa Pa-
rochialis potest considerari. 1°. Ratione
Rei oblatæ. 2°. Ratione oblationis. 3°.
Ratione precum. 4°. Ratione instructionis.
5°. Ratione Loci.

1°. Ratione Rei oblatæ, Missa privata &
Missa Parochialis ejusdem sunt valoris: quia
in utrâque offertur Christus.

2°. Ratione oblationis, Missa Parochialis
est utilior Missâ privatâ: quia specialiter of-
fertur pro Parochianis.

3°. Ratione precum est etiam utilior; quia
præter preces, quæ fiunt in Missâ Privata,
fiunt & aliæ, nomine totius Parochiæ, &
cùm cunctis fidelibus.

4^o. Ratione instructionis, in Missâ Parochiali explicantur sacra eloquia, quod non sit in aliis Missis priyatis.

5^o. Ratione loci. Etsi Missa celebrata in quâcumque Ecclesiâ, sit maximi valoris; tamen utilius videtur fidelibus eam audire in propriâ Parochiâ; ibi enim Sacro Baptismate nascimur, ibi roboramus confirmatione, Eucharistiâ in Paschate nutrimur, à Parochio viaticum & extremam unctionem accipimus, & matrimonio conjungimur: ergo œquum est, ut in Parochiâ diebus Festis, vota nostra offeramus. Itâ Carolus Bortom.

PROPOSITIO III. Consuetudo audiendi Missam Parochiale potest vim strictæ legis habere; si itâ visum fuerit Ecclesiæ Pastoribus.

Probatur 1^o. Ex Concilio Trident. ss. 22; ubi statuens decretum de observandis & evitandis in celebratione Missæ, post multa salubriter statuta, & specialiter, post illud præceptum indictum Episcopis. Moneant Episcopi etiam eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant. Addit, hæc igitur omnia, inter quæ assistentia Missæ Parochiali antumeratur . . . prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolatè servandi censuris Ecclesiasticis, alijisque pænis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant. Nec dici potest huic legi obstatæ privilegia regularium. Nam Sancta Synodus hanc objectionem præveniens addit. Non abstaniibus privilegiis, inquit, exemptionibus;

2^o. Ex Clero gallicano, à quo sequentes sunt proscriptæ propositiones an 1700. Nullus in foro conscientiæ Parochie sue interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, Divinam Legem, fidei rudimenta, morumque Doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, & docentur.

Talem Legem in hac materia, nec Episcopis, nec Concilia Provinciarum, nec nationum, sanctire; nec delinquentes aliquibus paenis, aut Ecclesiasticis censuris multatæ possunt.

Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris & paenit Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis, ad audiendam Missam (Parochialem scilicet.)

Contra has propositiones hanc distingit censuram venerabilis cætus: harum propositionum Doctrina falsa est, inquit, temeraria, scandalosa, jam à Clero gallicano graviter condemnata, Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contrarias; dicente Apostolo. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. Hæbr. v. 25.

4^o. Ratione. Si Ecclesia Legem conderet, quâ fideles Parochialem Missam audire tenebrentur; hujusmodi lex esset justa ex auctore; quia ferretur à legitimo superiore; esset justa ex objecto; quia præcipiteret aliquid pium & Sanctum; esset justa ex fine; quia conduceret ab bonum fidelium; esset justa ex mo-

64 MORALIS CHRISTIANA.
do; quia eos solum fideles obligaret, qui pos-
sent huic officio satisfacere: ergo esset ob-
servanda; quia lex justa est observanda.

5°. Ex variis Conciliis Provincialibus. Et
primò quidem Concilium Turonense an 1583.
approbatum à greg. 13. edidit Legem obli-
gantem ad audiendam Missam Parochialem:
sic enim habet art. 15. *Sanctorum Patrum,*
inquit, decreta renovantes, omnibus & sin-
gulis Christi fidelibus, suis Missis Parochiali-
bus, & aliis suarum Parochiarum Divinis Offi-
ciiis, singulis diebus Dominicis & Festiis inie-
resse districte PRÆCIPIMUS, a quibus si per
tres dies Dominicos continuè sequentes illos
abesse contingat, nisi legitimo impedimento re-
tineantur, penas à Sacris Canonibus inditas
incurrere declaramus; quod illis suæ Parochie
Rectores & confessarii sèpius inculcare non omittan-
t. Et Concil. Burdig. ann. 1582. cap. 3.
de Officiis Divinis num. 3. sic habet. *Reno-*
vamus Vetus illud decretum, quo, proposita ex-
communicationis penâ præcipitur, ne quis tri-
bus continuis Dominicis à Parochialis Missæ ce-
lebratione abſit.. Præcipitque confessariis &
concionatoribus, ut inter concionandum &
audiendas confessiones exhortentur, & mo-
neant populum Missæ Parochiali interesse, &
interdictum comminatur ei, qui contrarium
prædicare attentaverit.

PROPOSITIO IV. Omittere Missam
Parochiale in his Diœcesis, in quibus sub
Pœnâ Excommunicationis strictè præcipitur
fidelibus, ut eam audiant, est peccatum

Probatur Ratione. Ea lex, quæ obligat
audire Missam Parochiale, esset justa ex

autore ; cùm , ut supponimus , feratur à legitimo superiore ; esset justa ex objecto ; quia præcipere aliquid Sanctum ; esset justa ex fine ; cùm audire Missam in propriâ Parochiâ multas afferat utilitates fidelibus , eam obseruantibus ; esset justa ex modo ; cùm obligaret tantum , ubi commodè fieri posset : Ergo esset observanda. Et quia materia est gravis , omissione esset grave peccatum: Adde quod excommunicatione non infligitur , nisi contrâ peccatum mortale.

P R O P O S I T I O V. Omittere Missam Parochiale ex contemptu , etiam in his Diœcesisbus , in quibus non præcipitur sub pœnâ excommunicationis , sed solûm consulitur , ut exercitium Pium & Sanctum , est peccatum mortale.

Probatur Ratione. Non tenemur ex Præcepto sub pœnâ peccati pia exercitia exequi , & omnem Sanctam consuetudinem amplecti ; sed nefas est Pia exercitia , aut contemnere , aut ex contemptu omittere ; quia omissione ex contemptu secum quandam sacrilegii speciem includit.

Sic tridentinum docens bonum esse Sanctos Invocare , & eorum imagines venerari , non jubet , ut invocemus ; sed verat sub gravi peccato , ne Sanctos spernamus , aut eorum imagines contemnamus. Ita à pari . etsi non jubeat Ecclesia , præcepto generali omnes obligante , ut Missam Parochiale audiant ; nulli tamen licet , pium illud exercitium aut contemnere , aut ab illo alios avocare. Imo cap. 2. de Parochiis præcipitur presbiteris , ut statim ab Ecclesiâ abjiciant eum , quem nove-

rint, contempto proprio Parocho, velle Missæ assistere: sic enim habet prædictum caput. *Ut Dominicis, vel Festis diebus, presbiteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alius Parochianus in Ecclesiâ sit, qui, proprio contempto presbitero, ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesiâ abjiciant.* Quo denotatur, quām grave peccatum sit ex contemptu à propriâ Parochiâ abesse, cum peccatum illud mereatur ejectionem ab Ecclesiâ.

P R O P O S I T I O V I. Nulla videtur esse lex Ecclesiastica generalis, obligans omnes & singulos fideles ad audiendam Missam Parochiale diebus Dominicis & Festis; ita ut si non audiant missam Parochiale non satisfaciant præcepto Ecclesiastico audiendi missam.

P r o b a t u r. 1º. Ex Conciliis, Concilium Tridentinum utitur verbis hortanribus, & non præcipientibus. *Moneant, iuquit, populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant.* ss. 22 Decreto de observandis & evitandis in celebratione missæ. Et quando s. 24. cap. 4. Dicit. *Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri poterit: Non loquitur de missæ obligatione, sed de obligatione audiendi Verbum Dei: ideo adjungit, ad audiendum Verbum Dei, & ad discendam Doctrinam Christianam.*

2º. Declarationes supra Concilium docent num. 11. Ex vi Trident. *Nullum esse Præceptum circa hoc, nullamque infligendam censuram,*

Illud idem agnoscit Clerus Gallicanus ann. 1700. Nec infligit censuram contrà eos , qui absunt à missâ Parochiali , sed infligi posse determinat.

3°. Illud idem fatetur Dominus de Ste. Beuve , tom. 2. cas. 88. Pour la Messe de Paroisse ; on y doit assister , ex lege Ecclesiastica , sed an vigeat , dubium est : cum addat : Il est bon de se servir seulement d'exhortation & de remontrance.

4°. Illud idem confirmant plures summi Pontifices , qui declarant satisficeri Præcepto de Missâ audiendâ , si fideles Missam audiant in Ecclesiis regulatium. Ita Leo X. an. 1517. *Nolum facimus , omnes Christi fideles utriusque sexus , qui , non contempto proprio Sacerdote Parochiali , in Ecclesiis fratrum mendicantium , Dominicis & Festis diebus Missas audiunt , satisfacere Præceptio Ecclesiæ de Missâ audiendâ , nec in aliquam labem peccati mortalis pœnam vè incurvare.* Et cùm crederetur eam Bullam à Concilio Tridentino revocatam. Pius 5. idem Privilegium confirmat Bullâ , quæ incipit : *Eisi mendicantium. Präfati fideles , inquit , audiendo Missas , & alia divina Officia in Ecclesiâ fratrum mendicantium , hujusmodi diebus Dominicis , Præceptio Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

PROPOSITIO VII. Quamvis nulla sit lex generalis præcipiens strictè singulis fidelibus , ut singulis diebus Dominicis & festis Parochiæ ad audiendam Missam Parochialem assistant , tamen hortandi sunt posuli , ut huic officio quam frequenter poterunt satisfaciant.

Probatur. 1º Autoritate eorum Doctorum, qui docent pastores Ecclesiæ non posse strictam legem statuere, quæ fideles obliget ad assistendum Missæ Parochiali; inter quos unum referam, Fagundem scilicet, qui hic loquitur, Lib. 2. de Præceptis Ecclesiæ cap. 3. num. 18. *Honestissimum ac decentissimum est, ut Parochiani proprias frequentent Parochias, & ut saltem in festivitatibus præcipuis totius anni iis intersint Missæ audiendæ; & hoc consulendum, Prædicandum est à concionatoribus, nec debent concionatores prædicare è suggestis, non teneri populum in suis Parochiis Missam audire; quia quamvis ad id de facto non teneantur, cum tamen decentissimum sit id consulere, indecentissimum erit contrarium eo modo dissuadere, ut consideranti patebit.*

2º Ex can. si quis. Distin. 1. de consecrati.; ubi sic habetur. *Si quis contrâ proprias Parochias, in quibus legitimus ordinariusque fit conuentus, Oratorium habere voluerit; poterit ibi in reliquis festivitatibus Missam audire, propter fatigationem familiæ. Quo denotatur eos, qui non defatigantur adeundo proptiam parochiam, non debere, quantum possunt, ab ejus Sanctâ collectione, quæ sit in Missâ Parochiali discedere. Postea verò addit idem canon: Attamen in die Pentecostes, Natalis Domini, Joannis Baptiste, non nisi in civitatibus, aut Parochiis, Missam audiant. Quo indicatur certis saltem diebus Missæ Parochiali assistendum esse.*

3º Ex Emolumentis spiritualibus, quæ ex assistentiâ Missæ Parochiali fideles possunt percipere; quæ nos attulimus in isto articulo 1.

propositione 11. Quibus ista addi possunt.

1º. In Missâ parochiali , soient publicari si-delibus dies Festi , dies jejuniorum , excom-municationes , denunciationes nuptiarum , & similia , quæ Parochiani culpabiliter ignora-bunt , si eidem Missâ non interfuerint.

2º. Quia in missâ Parochiali fit aspersio aquæ benedictæ super populum ; sicuti asper-sus fuit populus per sanguinem victimarum. Per Moysem ; dum populus Iudaicus fædus iniit cùm Domino , quâ aspersione fædus cùm Do-mino Jesu , qui effundit super nos aquam mundanam , renovamus ; qui rursus aspersio mundatur à peccatis venialibus , si humiles & contriti eam Sanctam cærimoniam recipiamus , & ad perfectam peccatorum mortalium con-tritionem disponimur , & interius lavamur ; sicuti lavabant olim fideles , & manus & os in his fontibus , qui erant propè Ecclesiam , ut manibus mundis Hostiam reciperent , & ad os aquâ mundatum deferrent. Solebant enim olim fideles Eucharistiam propriis manibus recipere , & ad os suum propriis manibus de-ferre.

3º *Processioni* assistimus , quâ antiquam & solemnem Arcæ translationem revocamus , quæ ab Israëlitis in deserto ab unâ mansione in aliam deferebatur , quæ circâ muros Jeri-cho septies , clangentibus tubis , circumges-ta est , quæque à cariathiarum in Domum Obededom , & à Domo Obededom in civita-tem David , hoc est Sion , translata est ; quâve cærimoniam , si huic devotè interfuerimus , sit nobis præsens Deus , sicuti præsens erat Ju-dæis arcam circumferentibus ; quâ etiam con-

cidunt dæmonum propugnacyla , sicuti conciderunt muri Jericho ; quā demū uberiori benedictione perfundimur , quām perfusus fuerit Obededom : Crux enim Christi , quam in Processionibus nostris deferimus , longè deo est gratior , quām arca , longèque efficacior : quippè infirma & egena erant elementa veteris legis cærimoniae , si cùm nostris comparentur.

4°. Incensum adoletur , uti factum videmus in veteri lege cap. 30. Exod. v. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron suavē fragrans mane.... uret hymama sempiternum corām Domino. In Missâ ergò Parochiali fumo thuris perfunditur. 1°. Altare , quo ara Crucis designatur. 2°. Sacerdos , quo Christus Significatur. 3°. Oblata , quibus vota fidelium exprimuntur. 4°. Imagines , quibus prototypa oculis nostris exhibentur. 5°. Clerus & populus , ex quibus omnium fidelium cætus coalescit , & quibus tota Ecclesia demonstratur , ut dūm eo incenso singula adolentur , siamus omnes Deo in odorem suavitatis.

5°. Panis Benedictus singulis distribuitur in signum fraternalē communionis & charitatis , ut dicit Bona de rebus Liturg. lib. 2. cap. 19. Quā generali panis benedicti distributione significatur , fideles omnes olim in Missâ Christum verum panem communicando recepisse. Quem Sanctissimum usum , cum non possit nunc Ecclesia , ob depravatos fidelium multorum mores observare , eā saltē cærimoniam commemorat. Etenim ut dicit Trid. sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ. Optaret quidem Sacra-Sancta Synodus , ut in singulis Missis fideles ad-

stantes non solum spirituali affectu, sed Sacra-
mentalii etiam Eucharistia perceptione communi-
carent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii
fructus uberior proveniret. Et ut Eucharistæ
receptionem suppleat, panem benedictum sin-
gulis fidelibus distribuit, qui cum fide sumptu-
sus, cum devotione manducatus, veniales
culpas remittit, & ad impetrandam peccato-
rum mortalium veniam disponit. De Præ-
ceptis Ecclesiasticis, qæ Sacramentorum re-
ceptionem respiciunt, agemus, ubi de Sa-
cramentis.

CAPUT II.

De Præceptis quibus Ecclesia jubet, vel ut
jejunemus, vel ut solum à carnibus
abstineamus.

EGimus hactenùs de Præceptis, quibus Piè
vivimus erga Deum: jam agendum de his
mandatis, quibus sobriè vivimus erga nos
ipsos; quod quidem, ut par est, præstabili-
mus, si temperantiam juxta regulas fidei &
rationis custodiamus, si jejunia & abstinen-
tiā à carnibus juxta præscriptum Ecclesiæ
observemus. Quomodo autem hæc Ecclesiæ
præcepta de jejunio & abstinentiā à carnibus
intelligenda sint, hic paucis explicabimus.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit jejunium, & quandam sit de Præcepto.

Nota. Temperantia est virtus, quæ moderatur voluptates gustus, & factus, quæ que proinde juxta regulas rationis & fidei, jejunium, & abstinentiam præscribit.

Jejunium generatim est abstinentia ab aliquo.

Jejunium est duplex, Spirituale, & Corporale.

Jejunium Spirituale est abstinentia à peccatis, & ab omni voluptate illicitâ.

Jejunium Corporale est abstinentia ab excessis Corporalibus juxta regulas fidei & rationis.

Jejunium Corporale aliud est juris naturalis, aliud juris positivi.

Jejunium corporale juris naturalis est ea abstinentia à cibis, quæ nobis per rationem naturalem præscribitur: tale est v. g. Jejunium, quod ratio dicit nobis esse necessarium, vel ad conservandam sanitatem, vel ad rationem perficiendam, vel ad pietatem obtinendam.

Jejunium Corporale juris positivi est ea abstinentia, quæ nobis à legitimo superiore præscribitur: tale est jejunium, quod nobis indicatur ut necessarium, à medico, ad conservandam sanitatem Corporis; à Philosopho, ad conservandam mentis serenitatem; à Theologo, ad pietatem, vel obtinendam, vel conservandam; ab Ecclesiâ, ad exercendam unâ

unâ cum omnibus Christi fidelibus pœnitentiam.

P R O P O S I T I O . I. Omnes omni tempore tenemur observare jejuniū spirituale, sicutum in abstinentiā à peccato. Et hæc obligatio tam arcta est, quam stricta sit obligatio vitandi peccatum.

Probatur 1º. Scripturâ. Omnibus hominibus juxta Scripturam præcipitur, ut à peccato semper abstineant; generalis enim est ista lex. *Non concupisces.* Ergo omnibus hominibus præcipitur jejuniū spirituale, sicutum in abstinentiā à peccato. Sed ea abstinentia à peccatis, & spirituale illud jejuniū strictius ligat homines Baptizatos; ut docet Paulus ad Rom. 6. v. 4. *Quicumque enim baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Deponentes scilicet omne pondus & circumstans nos peccatum. Etenim qui manet in Christo, non peccat: Ergo omnes homines tenentur servare jejuniū spirituale, seu abstinere à peccato.

2º. Ex patribus D. Basilius homil. 1. De jejunio ait. *Verum enim jejuniū est ab omnibus vitiis esse alienum.* D. Chrysost. Homil. 8. in Genes. Sic definit jejuniū. *Jejunium dico abstinentiam à vitiis. . . . Hoc verum jejuniū est.* Et Leo Serm. 41. De jejun. cap. 2. Sic concludit. *Non enim in solâ abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.* Et ut indicet jejuniū spirituale semper urgere, nullamque pati dispensatio-

nem , sic habet , Serm. 43. cap. Nullum magis
seclandum est continentiae genus , quam ut semper
simus ab injustâ voluntate sobrii , & ab inho-
bonestâ actione jejuni.

3º. Ratione. Jejunium spirituale est absti-
nentia à peccato ; atqui nullum est tempus ,
in quo non debeamus omnes abstinere à pecca-
to . juxta illud scripturæ. Tanquam à facie
colubri , fuge peccatum : Ergo nullum est tem-
pus , in quo non teneamus omnes obseruant
jejunium spirituale.

Consecataria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Primum & in-
dispensabile omnino jejunium est , non absti-
nentia eorum ciborum , qui ex se sunt indif-
ferentes , sed abstinentia eorum vitiorum ,
quæ ex suâ intrinsecâ naturâ mala sunt ; ut
docet Christus , Matth. 15. v. 17. Omne , in-
quit , quod in os intrat , in ventrem vadit , &
in secessum emittitur ; quæ autem procedunt de
ore , de corde exeunt ; & ea coinquiant hominem.
De corde enim exeunt cogitationes malæ , homi-
cidia , adulteria , fornicationes , furia , falsa
testimonia , blasphemia ; bæc sunt , quæ coinqui-
nant hominem. Quod ita explicat Basilius ,
homil. t. De jejunio. Cave , inquit , ne jeju-
niū uilitatem solâ ciborum abstinentiâ metiaris.
.... carnes non edis : at interim devoras fra-
trem tuum. Vino abstines ; interim ab injuriis
non temperas. Væ his , que ebrii sunt non à vi-
no. Ira menis est temulentia ; eam à prudentiâ
non minus excutiens , quam vinum.

C O N S E C T A R I U M II. Primum & in-

dispensabile pariter jejunium est, non pugna contrā famem, vel sitim, sed pugna contrā triplicem concupiscentiam; de quā Joan. ait. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 1a. Jean. 2. v. 16. Etenim, ut cūm Augustino loquar serm. De diversis, olim: 74. jam: 211. Nullus est, qui possit se ab hoc jejunio, vel ab hac pugnā dispensare. Potest quisque dicere, nē stomachus doleat, jejunare non possum; potest etiam dicere *volo dare pauperi; sed unde, non habeo, aut tantum non habeo,* ut timeam egere, si dederō; quamquam & in his operibus excusationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt, verumtamen quis est qui dicat; ideo non ignovi veniam petenti, idē concupiscentiæ non restituti, aut jejunium spirituale non servavi; quia valetudo impedivit; aut quia manus, quā porrigerem, non fuit: *Dimitte, ut dimittatur tibi;* decerta, ut coroneris; *carnis hīc opus nullum est, nullum, vel carnis suæ membrum assumitur,* ut hoc impleatur, quod rogatur, voluntate agitur, voluntate perficitur, voluntate decertatur, voluntate jejunatur.

P R O P O S I T I O II. Præter jejunium spirituale, omnes omni tempore, tenemur ad observandum jejunium corporale, quandō ex testimonio conscientiæ judicatur necessarium, vel ad satisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, vel ad præcavendum futura, vel ad mentem elevandam ad divina: & haec obligatio tanta est, quanta est connexio jejunii cūm prædictis effectibus.

Probatur 1. Scripturā, Scriptores sacri pas-

G ij

sim jejunium & orationem simul consociant.
Estate itaque sobrii & vigilate in orationibus,
 inquit, Petrus. I. 4. v. 7. Ergo sicut oratio
 est de præcepto, quotiēs necessaria judicatur
 ad obtainendam virtutem; ita & jejunium ex
 de præcepto, quotiēs sine jejunio virtus ab-
 solutē necessaria obtineri non potest.

2°. Ex Aug. Serm. olim.. De temp. 230.
 jam. 73. De verbis Evang. in appendice,
Jejunium, inquit, purgat mentem, sublevat
 sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit con-
 tritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas
 dispergit, libidinum ardores extinguit, castita-
 tis verè lumen accendit. Et Bern. Serm. 4. In
 quadrages. ità loquitur: *Jejunium obtinet ve-
 niam, gratiam promeretur, delet præterita pe-
 cata, futura depellit*: Ergò totiēs tenetur ob-
 servare jejunium corporale, quotiēs ex testi-
 monio conscientiæ judicatur ad prædictos ef-
 fectus necessarium.

3°. Ratione. Jejunium necessarium est ad
 abstergendum peccata præterita; ad præca-
 vendum futura, ad assequendam virtutem, &
 ad elevandam mentem ad Divina, juxta illud,
 quod Deo canit Ecclesia. *Qui corporali jeju-
 nio via comprimis; mentem elevas, virtutem
 largiris & præmia*: Atqui nullum est tempus,
 in quo non teneamur omnes abolore peccata
 præterita, præcavere futura, virtutes compa-
 rare, mentem ad Divina erigere: ergo nullum
 est tempus, in quo non teneamur omnes ad
 jejunium corporale, quandō ex testimonio
 conscientiæ judicatur ad prædictos effectus
 necessarium.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Qui est in peccato, præcipue mortali, debet jejunare jejuno corporali, ut eâ carnis maceratione ad cordis compunctionem excitetur; sic enim peccatores compellat Joël, 2^o. v. 12. *Nunc ergo, dicit Dominus, in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium. Jejunio usi sunt Ninivitæ*, inquit Tridentinum §. 14. c. 4. Cum ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. De his enim ita scribit Jonas, cap. 3. v. 6. *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & induitus est sacco, & sedic in cinere, & clamavit, & dixit in Nineve ex ore Regis & Principum ejus, dicens, boamines, & jumenta, & boves, & peccora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant..... & convertatur vir à viâ suâ malâ, & ab iniuitate.*

C O N S E C T A R I U M II. Qui tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus, præcipue si tentetur circâ luxuriam, debet ad jejunium corporale recurrere, & quidem tamdiu, quamdiu judicabitur ad reprimendam carnis rebellionem necessarium, *Hoc enim genus Dæmoniorum, inquit Christus, non ejicitur, nisi oratione & jejunio. Quo remedio usi sunt omnes Sancti, ad vincendas carnis tentationes, quodque suo exemplo præcipit Pat.*

Ius , dum dicit. *Castigo corpus meum , & in servitutem redigo.* De quo ita Aug. de Cantico novo. cap. 3. Ubi sic Christianum , qui ad cœlum tendit , hortatur . *Ecce , inquit , in Evangelio clamat salvator.* Ego sum via. *Habes viam , ambula , sollicitus tamen domajumentum tuum , carnem tuam ; ipsi enim insidet anima tua.* Quomodo si in hac viâ mortali iumento insideres , quod te gestiendo vellet præcipitare ; nonne , ut securus iuer ageres , cibaria ferocienti subiraheres , & fame domares , quod freno non posses. *Caro nostra jumentum nostrum est : iter agimus in Ierusalem :* plerumque nos capit caro , & de viâ conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus jejuniis Exemplo Pauli. Ita ergo es tu , qui ambulare desideras , doma carnem tuam , & ambula. Ambulas enim si amas. Non enim ad Deum passibus , sed affectibus currimus.

C O N S E C T A R I U M III. Qui virtutes christianas , sine quibus salvi esse non possumus , consequi desiderat , jejunio utatur necessarium est : quippe , ut docet Leo serm. 12. *Quid enim potest esse , inquit , jejunio efficacius.* cuius observaniam appropinquamus Deo , & resistentes diabolo vitia blanda superamus , semper virtuti cibus jejunium fuit , de abstinentia prodeunt castæ cogitationes , rationabiles voluntates , salubriora consilia , & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur , virtutibus spiritus innovatur. Et Bernardus ait serm. 1. *Carnis inedia est refectio cordis.*

C O N S E C T A R I U M IV. Si Christianus velit , ut debet , corpus suum offerre Deo , tanquam hostiam Sanctam , & Deo placentem;

necessarium est, ut jejunio victimam illam præparet, ut dicit Aug. Serm. 61. De Cantico novo jam citato. De quo Sacrificio loquitur Paul. Ad rom. 12. v. 1. Hoc modo. *Obsecro itaque vos, fraires, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile, id est, spirituale, obsequium vestrum.* Et 2. ad Corin. 4. v. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali:* Et v. 16. *Propter quod non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem:* jejunio scilicet, aliisque mortificationibus.

P R O P O S I T I O III. Præter jejunium spirituale, situm in abstinentiâ à quocumque peccato; præter jejunium corporale, situm in eâ ciborum corporalium temperantiâ, quam conscientia inspirat unicuique; est & aliud jejunium corporale; *Medicinale* scilicet, quod Medicus præscribit ad sanitatem corporis; *Philosophicum*, quod Philosophus præscribit ad mentis perfectionem; *Theologicum*, quod Theologus inspirat ad pietatis exercitium. Quod triplex jejunium tenemus omnes observare, quoties nobis est ad prædictos effectus necessarium: tantaque est hujus jejuniū obligatio, quanta est illius cùm prædictis effectibus connexio.

P R O B A T U R I. Scripturâ. Constat ex variis scripturæ textibus, quod excessus in cibo & potu, nocet 1°. sanitati, juxta illud. *Plures occidit gula, quam gladius.* 2°. Nocet mentis libertati; juxta illud. *Corpus, quod corrumpit,*

pitur, aggravat animam. Sap. 9. v. 15. 3^o. Nocet maximè virtuti : juxta illud. *Attendite, ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate :* Luc. 21. v. 54. Ergo jejunium necessarium est ad corporis sanitatem , quam intendit Medicus ; ad mentis libertatem , quam intendit Philosophus , & ad exercitium pietatis , quam respicit Theologus. Ergo tenemur jejunium corporale observare , cùm necessarium indicatur vel ad sanitatem corporis , vel ad perfectionem mentis , vel ad virtutis exercitium.

2^o. Ex D. Thom. *Jejunium in communi,* inquit , *cadit sub præcepto legis naturæ , sed determinatio temporis, & modi jejunandi cadunt Sub præcepto juris positivi.* 22. 147. a. 3. in C. Ergo potest à legitimò superiore certis in casibus nobis præscribi , putâ à Medico , cum conducit ad sanitatem ; à Philosopho , cum necessarium est ad rationem persiciendam ; à Theologo , cùm expedit ad virtutis exercitium.

3^o. Ratione. Omnis virtus moralis jure naturali imperata , jure positivo & quoad tempus & quoadmodum præscribitur ; quia ad jus positivum pertinet determinare jus naturale : atqui jejunium est actus virtutis moralis scilicet temperantie. Ergo jure positivo determinatur. Et itâ jejunium , quatenus utile corpori , determinatur per Medicos ; quatenus utile rationi , determinatur per Philosophos ; quatenus utile pietati , determinatur per Theologos , quibus & Medici , & Philosophi debent subesse , non solum in hac materia , sed etiam in aliis ,

Consecraria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Homo tenetur ad jejunium corporale , eo tempore , quo ei per Medicos prudentes præscribitur , ut necessarium , vel ad conservandam , vel ad recuperandam sanitatem corporis ; quippè sicuti nemini licet seipsum interficere , aut mutilare ; quia non sumus domini corporis nostri . sed custodes ; ita nemini licet , ciborum ingluvie corporis sanitatem labefactare. Cùm ergò juxta Scripturam , Medico parendum sit in his , quæ spectant corporis sanitatem : sic enim explicari potest illud Ecclesiastici ; 38. v. 1. *Honora Medicum propter necessitatem*; ei tūm maximè parendum est , cùm jubet abstinétiā , ad conservationem sanitatis necessariam ; ad quam nos Sapiens , ad instar prudentis Medici ; ità suavititer hortatur 37. v. 32. *Noli avidus esse in omni epulatione , & non te effundas super omnem escam , in multis enim escis erit infirmitas ; & aviditas appropinquabit , usque ad cholera.* Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est , adjiciet vitam. Quæ quidem singula sunt de præcepto , non eo tamen motivo observanda sunt , ut vivamus nobis , sed eo motivo , ut vivamus Deo , & gloriæ æternæ comparandæ incumbamus. Quantum autem sanitati conducat jejunium , vel ex eo patet , quod insigniores Medici abstinétiā inter præcipua medicamenta collocent : Hypocrates enim lib. de affectibus. sic haber. *Optima sunt ad sanitatem , quæ modicè ingesta sufficiunt , ut & fames & sitis sint medela.* Et lib. 4. De

morb. Sic loquitur. *Si homo parum edit, & parum bibit, nullum morbum hoc inducit.* Philo Judæus Philosophus simul & Medicus dicitare solitus erat, continentiae proprium esse sanitatem. & robur gignere, quibus assentitur Hieronymus, his verbis. *Mater sanitatis est abstinentia, ægritudinis voluptas.* Quod & Horatio quamvis de sectâ Epicuri non displicuit: sic enim habet. *Sperne voluptates; nocet empia dolore voluptas, a spice nunc tenuis iustus quæ quantaque secum Offerat, imprimis ut valeas bene.*

C O N S E C T A R I U M II. Homo tenetus ad jejunium corporale, eo tempore, quo necessarium indicatur ad rationem perficiendam, mentisque libertatem obtinendam. Quippe sicuti homo est custos sui corporis, ita & custos suæ mentis: & sicuti nefas est homini corporis sanitatem nimio cibo alterare, ita longè nequius est, mentis aciem nimio cibô hebetare. Quo circâ sicut ad jejunium obligatur, ut servet corporis sanitatem; ita fortius obstringitur ad jejunium, ut servet mentis libertatem. Multum autem prodesse abstinentiam ad perficiendam rationem Scriptura nos his verbis commonet. *Cogitavi, inquit Sapiens, à vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Eccles. 2. v. 3. Nihil est, quod magis mentis serenitatem perturbet, quam intemperantia, & præcipue in potu, ut habetur Prov. 20. v. 1. *Luxuriosa res vinum, tumultuosa ebrietas;* quicumque his delectatur, non erit sapiens. Et Osee 4. v. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Quibus

textibus non obscurè indicatur, aut hebetem, aut tumultibus plenam esse eam mentem, quæ non sibi jejunio viam ad scientiam parat.

Quantum verò rationi perficiendæ inseriat jejunium, vel ex eo conjici potest, quod nullus umquam extitit, qui vel patùm in litteris profecerit, nisi fuerit abstinentiæ tenacissimus, & quidem inter paganos Socrates solo pane & lacte vivebat; Epictetus solà fæginâ aquis dilutâ vicitabat; Zenon vero non aliis epulis, quam terræ fructibus vescebat. Quantis verò jejunis inter Christianos macerabantur Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Aug. aliique non pauci Ecclesiæ Doctores, qui inter continua Ecclesiæ negotia non alio tempore studiis vacare poterant, quam his horis, quibus nos reficiendis corporibus indulgemus. Ratio dictat nullum aliud esse obtinendæ scientiæ medium efficacius quam jejunium; re ipsâ humana mens numquam fortius vires suas exerit, quam dum Corpus jejunis atteritur: è contra numquam languidius agit, quam dum corpus cibis obruitur. Inde videoas manè mentem jejunio corpore acriter rebus intendere; vespere vero, ubi bene pasti sumus, eamdem mentem vix posse res vel faciliores assequi, quasi aut sepeliretur cibis, aut eorum vaporibus obscuraretur: in hoc non longè soli absimilis, qui sereno tempore radios suos longè latèque dispergit, nimbovero quasi interclusos retinet.

C O N S E C T A R I U M III. Homo tenetur ad jejunium corporale eo tempore, quo judicatur necessarium ad officia pietatis exercenda, sive pietas Deum respiciat, sive nos

84 MORALIS CHRISTIANA
spectet, sive ad proximum pertineat. Pietas enim, ut dicit Apost. *Ad omnia utilis est: & jejunium maxime ad pietatem conductit* De verâ enim pietate & sapientia sic loquitur Job. 28. v. 12. *Sapientia vero ubi inventior & quis est locus intelligentiae? nescit homo premium ejus, & non invenitur in terra suaviter viventium, id est, eorum, qui abstinentiam & jejuniu[m] non delectantur.* Quod certe expressius indicat Isaïas, dum intemperantiam exhibet omnem omnino aditum ad pietatem præcludentem. *Verum bi quoque, id est non populus, sed Sacerdotes, & Prophetæ, præ vino nescierunt communia etiam pietatis officia, præ ebrietate erraverunt, in evidentissimis etiam legum notionibus.... absorti sunt a vino, quasi hebetes & stupidi. Erraverunt inebriete, nescierunt videntem, id est Deum, ignoraverunt judicium, id est æquitatem; quâ ignorantiâ nihil pietati magis contrarium; cum cognitio Dei & justitiae sit prima totius pietatis origo.*

CONSECTARIUM. IV. Homo tenerut ad jejunium corporale, quoties ea abstinentia judicatur necessaria, vel ad sustinendum statum familias vel ad elemosinas clargiendas; Deus quippe non ita fecit nos rerum nostratum temporalium dominos, ut nobis licitum sit, aut eas epulis consumere, aut eis, dum alii indigent, copiosius, quam pars est, abundare. Sic enim habet Scriptura. Prov. 21. v. 17. *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum & pinguia, non ditabuntur.* Et ut Scriptura indicet excessum illum in epulis, quibus res familiares consumuntur, esse peccatum, statim

tum subjungit. *Pro iusto datur impius; & pro rectis iniquus,* id est pro justo filio exercendo datur impius ille pater devorans hæreditatem filii, & pro rectis filiis exercendis iniquus pater, his verbis deprimens, quām grave peccatum sit ea intemperantia, quā res familias dissipantur. De his verò, qui epulis indulgent potius quām temperent, ut eleemosinas impertiantur, ita inculpando loquitur Apostolus. *Unus esurit, alius autem ebrius est.* Ergo abstinentia est de præcepto, cum necessaria judicatur, vel ad conservandam rem familias, vel ad sublevandam extremam aut urgentem, imò fortè communem paupertis necessitatem. Vide dicta de Eleemosinâ.

Ex quadruplici isto Consecratio patet, omnem jejuniī esse peccatum quando necessarium judicatur, vel ad sanitatem corporis, vel ad mentis perfectionem, vel ad pietatis exercitium, vel ad rei familiaris conservationem, vel ad Eleemosinarum largitionem.

MONIUM. Quadruplex illud genus jejuniī, quod vel conscientia, vel Medicina, vel Philosophia, vel Theologia præscribit, consistit, non in unicā refectione in die, nec in catnū abstinētiā, sed in uero moderato ciborum, & in eā temperantiā, quæ necessaria judicatur ad finem, qui intenditur. Jejunium verò Ecclesiasticum est abstinētia à certo ciborum genere, & à pluribus in die refectiōibus, secundūm modum ab Ecclesiā præscriptum, & propter finem pietati congruentem. Ideo sit.

ARTICULUS II.

De Jejunio Ecclesiastico.

PROPOSITIO unica. Præter jejunium spirituale, obligans omni tempore; præter jejunium illud corporale, quod lex naturalis præscribit; præter illud etiam jejunium corporale, quod vel Medici ad corporis sanitatem, vel Philosophi ad mentis purgationem, vel Theologii ad exercitium pietatis conducere indicant; Ecclesia habet autoritatem instituendi solemnia quædam jejunia, quæ Christiani singuli debent observare juxta modum ab Ecclesiâ præscriptum.

Probatur 1º. Scripturâ. Præter dies jejunii instituti à Domino, in lege Mosaicâ præscriptos, Synagoga alios dies jejunii præscripsit. Sic Josaphat prædicavit jejunium universo Judæ, ut liberaretur ab Ammonitis, & Moabitis. 2º. Paralip. 20. v. 3. Sic Esdras prædicavit jejunium juxta fluvium Ahova; ut Israëlitæ prosperum iter haberent ad Jerusalem reædificandam. 1. Esd. c. 8. v. 21. Sic Esther jejunium sibi & populo Judaïco indixit, ut averteret malum, quod Aman Judæis paraverat Esth. 4. v. 16. Ergo à simili Ecclesia, quæ non habet minorem autoritatem, quam Synagoga, potest certos jejunii dies præscribere, quosque omnes fideles tenentur observare.

2º. Ex Aug. Epist. ad Casula. Ego, inquit, in Evangelicis & Apostolicis litteris.... Video præceptum esse jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio.

definitum. Ergò ad Ecclesiam pertinet determinare tempus, quo jejunio Ecclesiastico jejunandum sit.

3°. Ratione desumptā ex D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 5. In corpore. *Jejunium, inquit, utille est ad deletionem culpæ commissæ, ad cohibitionem peccati, quod posset committi, & ad elevationem mentis ad spiritualia, & ad plures alios fines, quos Ecclesia potest intendere.* Ergò quilibet homo ex vi juris naturæ, debet uti jejunio, quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus. Ergò cùm quilibet non possit id satis prudenter per se metipsum determinare, ad Ecclesiam pertinet seligere tempora; quibus magis nobis expediat jejunare, quodque jejunii tempus à nobis observandum est.

Et sicuti Ecclesia determinavit certas festorum solemnitates, ita & determinare potuit certa jejunii solemnis & pœnitentiæ tempora: & sicut peccant, qui non observant dies festos ab Ecclesiâ institutos; ita peccant, qui non observant jejunia ab Ecclesiâ præscripta.

Coniectaria, in quibus Historicè referuntur tempora, per Ecclesiam jejuniis destinata.

C O N S E C T A R I U M. I. Observandum est jejunium Quadragesimæ, quia tale tempus determinatum fuit ab Ecclesiâ, ut jejunium Christi, Moïsis & Eliæ imitemur, ut antè Pascha Sacrae Communioni disponamur. Duplicem illum rationem tangit Augustinus. Epist. 119. Ad Januar. *Quadragesima jejuniorum, inquit, habet autoritatem, & in veteri-*

bus libris, & ex jejunio Moysis & Eliæ ; & ex Evangelio ; quia totidem diebus Dominus ieiunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à lege & Prophétis, & quamquam non possumus quadraginta diebus ab omni cibo abstinere, sicut abstinuit Dominus ; convenit tamen, ut modulo nostro eum imitemur in jejunio, sicut & in humilitate, in patientia, & misericordia, & perfectâ charitate ; quoniam nobis dicitur : Disite à me ; quoniam misericordia sum & humilis corde, &c. . . . Ideo Deus post jejuniū esurivit, & tentari voluit. Et idem Aug. ait, cādem Epist. c. 17. Ut igitur hi quadraginta dies in jejunio observentur antē paschā, Ecclesiae consuetudo roboravit. Ut, inquit Hyeron. Epist. ad Marcellum adversus Montan. Nos jejunio, quod mentem elevat ad Divina, purgat à vitiis, & virtutibus ornat, ad festa paschalia præparemus, quibus decet maximè nos vitiis esse purgatos, ut sepeliamur cum Christo, & simul cum illa resurgamus.

C O N S E C T A R I U M II. Observandum est jejuniū quatuor temporū ; ut enim in Synagogā jejuniū quatuor temporū observabatur ; Ecclesia aliis motivis voluit jejuniū indicere, quatuor anni temporibus, quibus conferuntur Ordines ; quo jejuniū Dominum deprecamur, ut mittat bonos operarios in vineam suam. Oportet enim, inquit Hyeron., relatus à D. Thom. 2. 2. q. 141. a. 5. Ad ordinum susceptionem & collationem, per jejuniū præparari, & eos, qui ordinantur, ut fructuosè Sacramentum Ordinis recipient, & eos, qui ordinant, nè cuīd in sui condemnationem indignis manus imponant;

ideoque oportet etiam plebem jejunare, pro eius utilitate Clerici ordinantur; in cuius præceos exemplum Christus antè electionem Discipulorum, *Exivit in montem solus orare.* Quod exponens Ambros. dicit. *Vide, quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos prius oravit.* lib. 5. in Lucam. Novam aliam rationem addit Leo. Serm. 8. Decimi mensis. *Jejunia, inquit, ex Doctrinâ Spiritus Sancti ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiae omnibus adscripta sit tempore Ihesus;* siquidem jejunium vernum in quadragesimâ, aestivum in Pentecoste, autumnale in mente septimo, Hyemale autem in decimo celebramus, intelligentes Divinis nihil vacuum esse præceptis.

CONSEC TARI U M III. Observandum est jejunium vigiliarum, juxta usum Ecclesie, in quâ vivimus. Ut sicuti per jejunium ad Festa Paschalia præparamur, eâdem ratione in vigiliis præcipuarum solemnitatum, in quibus præparari nos oportet, per jejunium ad Festa illa peculiaria devote celebranda disponamur; ne quod exprobrat Sapiens Iudeis, Christianis etiam exprobrari possit, ne scilicet simus, ut dicitur Sapientiæ 14. v. 23. *Habentes viglias insanâ plenas.*

PROPOSITIO IV. Præter jejunium quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum, observanda est abstinentia à carnibus diebus Rogationum, & quâlibet feriâ sextâ, & quolibet Sabbato, his locis exceptis, in quibus ex consuetudine certis Sabbatis usus carnium est licitus; quia ita jubet Ecclesia;

non quod Hæretico spiritu prohibeat abstine-re à cibis , quos Deus creavit , quod verat Paulus ad Timot. 4. Sed quia abstinentiā corpus castigandum sit. Quod & verbo & exemplo ostendit Paulus , dicens. *Castigo Corpus meum , & in servitutem redigo.* Hūc per-tinet Sententiā Aug de Definitione fidei Or-thodoxæ. *Æquare , inquit , nuptias Virgini-tati , & nihil meriti putare esse in abstinentiā à carnibus & vino , non Christiani hominis , sed Joviniani est.*

M O N I T U M . Carnium manducatio diebus, quibus ab Ecclesiâ interdicuntur , non est ex se mala , sed est solum mala ex interdicto Ecclesiæ. Carnes non sunt ex se malæ , ut volebant Manichæi, quia sunt opus Dei , & non opus dæmonis; Nec maculantur , quia offeruntur idolis , ut male credebant olim quidam Catholici nimium scrupulosi ; Nec prohibentur ex vi legis Mosaïcæ , ut arbitra-bantur quidam Catholici nimium Judaizan-tes ; sed usus carnium certis diebus est illici-tus post prohibitionem Ecclesiasticam , quam nefas est infringere. Etenim si Ecclesia tem-pore Apostolorum justè præceperit , ut fideles abstinerent à sanguine & suffocato , quidni præcipere potest , ut fideles modò certis die-bus à carnibus abstineant. Rursus , si Medicus ob sanitatem corporis certos valeat cibos in-terdicere , quidni à fortiori idem poterit Ec-clesia ob salutem animæ.

ARTICULUS III.

De modo, secundum quem Ecclesiastica jejunia observanda sunt.

PROPOSITO unica. Ad Ecclesiam pertinet determinare, non solum tempora, quibus jejunare nos oportet, sed etiam modum, secundum quem jejunare nos convenit.

Probatur 1º. Autoritate D. Thomæ 2. 2.
q. 147. a. 3. in C. *Jejunium*, inquit, *in communione cadit sub præcepto legis naturæ: sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto juris positivi, quod est à Prælatis Ecclesiæ.* Ergo ad Ecclesiam pertinet determinare modum, secundum quem jejunare nos oporteat.

2º. Ratione. Sicuti ad Rem publicam pertinet determinare ea, quæ respiciunt regimen politicum; ita ad Ecclesiam pertinet determinare ea, quæ spectant regimen Ecclesiasticum: atque jejunia Ecclesiastica spectant regimen Ecclesiasticum; cum non nisi in bonum spirituale fidelium instituantur: Ergo ad Ecclesiam pertinet determinare jejunia & modum, secundum quem jejunare nos oporteat. Qui modus varius fuit juxta varias diversorum temporum differentias.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam abstinentia à vino , à carnibus , ab ovis & lacticiniis coniungebatur cum jejunio Ecclesiastico , & unica permittebatur in die refectio , eaque circa vesperam . Ea singula paucis sic expressit Basilius homil. 1. de jejunio. *Carnes* , inquit , non edis , à vino abstines , vesperam expectas , ut cibum sumas. Idem habet Theophilus Epist. 3. Qui autem , inquit , legum præcepta custodiunt , ignorant vinum in jejunis , carnium usum repudiant. Cyriillus verò Catechesi 4. jejunium Christianorum sic describit. *Jejunamus à vino , à carnibusque abstinemus.* Postea verò subjungit carnium usum solis infirmis esse licitum. Synodus verò Trullana can 56. præcipit ut tempore quadragesimali fideles abstineant ab eo omni , quod mactatur , ab ovis & caseo , & in pœnam transgressionis Clericos deponit , Laicos verò segregat à communione fidelium. Abstinentia autem à carnibus ita rigidè observabatur , ut quamvis tempore Justiniani urgente fame , & jussu ipsius Imperatoris carnes venales expositæ fuerint , populus tamen nec carnes emebat , nec edebat. *Ne quid de patriis traditionibus mutaret* , inquit Nicephorus , lib. 17. cap. 32. Et Spyridion tempore jejunii , non ausus est apponere carnes hospiti adventanti , nisi prius perspexisset , quod nullum aliud habebat alimentum , & nisi præviâ prius oratione adhibitâ ; cumque hospes in tam urgenti necessitate carnes edere reluc-

taret, ipse met de carnibus hospiti appositis manducavit, dicens. *Omnia esse munda mundis*, indicansque carnis non esse naturā suā malas: quas omnes caute'as vir Dei non adhibuisset, si licitum fuisset extra casum necessitatis uti carnibus tempore jejunii.

C O N S E C T A R I U M I. juxta præsentem Ecclesiæ usum, tria requiruntur ad jejunium Ecclesiasticum; scilicet, 1°. Abstinentia à carnibus. 2°. Unica refectio in die. 3°. Hora competens hujus refectionis. Jejunium enim Ecclesiasticum, inquit D. Thom. institutum est ad refrēnandam concupiscentiam carnis. Hæc autem concupiscentia maximè inflammatur per usum carnium, per præmatutram & səpiùs iteratam refectionem, ut patet experientiā: ergo optimo jure Ecclesia statuit, ut in jejunio interdiceretur usus carnium, & comedio səpiùs iterata; & refectio non nisi unica permittetur.

Sic ex consuetudine Ecclesiasticā, quæ vim legis habet, omnibus diebus jejunii Ecclesiastici abstinemus à carnibus; in quadragesimā verò ab ovis & lacticiniis temperamus, nisi ubi usus contrarius vigeret; non quod, ut docet Aug. lib. 3. contrà Faust. cap. 5. *Illud quod intrat in os, possit hominem coquinare, aut immundus sit aliquis cibus; sed edomandi corporis causā, ut præscindantur pravæ cupiditates, & per castigationem & jejunium redigatur corpus in servitutem spiritūs, & exhibeat Deo hostia viva*, ut docet Paul. ad Rom. 12. & 1. ad Corin. g.

Sic ex consuetudine Ecclesiasticā, fundatā in exemplo jejunantium in Synagogā, uni-

cam recipimus in die jejuniū refectionem; dicitur enim Lev. 23. Sabbatum est. Et postea subditur. *A vesperā ad vesp̄am affligitis animas vestras.* Quia, ut docet D. Thom. Jejuniū ab Ecclesiā instituit ad concupiscentiam refrænandam; itā tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comedio, per quam homo potest naturae satisfacere; & tamen concupiscentiā aliquid detrahit, diminuendo comedionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur. 2. 2. q. 137. a. 6.

Sic ex consuetudine Ecclesiasticā, olim comedio fiebat post Vesp̄eras in Choro recitatas, quæ tunc recitabantur horā circiter quartā post meridiem; jam verò circiter meridiem recitantur. De quo itā Bern. serm. 3. de quadragesimā, itā enim habet, Monachos suos alloquens. *Hactenus, usque ad nonam jejunavimus, nunc usque ad vesp̄am jejunabunt nobiscum universi, Reges & Princes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.*

Sic ex benignitate Ecclesiæ, permittitur cœnula, seu vespertina collatio, modò cœnula non vertatur in cœnam. Origo collationis à Monachis cœpit, aquid quos fiebant lectiones & colloquia spiritualia, & lectori permittebatur potum sumere: postea frustulum panis Addiderunt, ne potus noceret. Hinc sacerdotes, relicto spirituali colloquio, collationem Monachorum imitati sunt, & usum cœnulæ introduxerunt. D. Bonavent. in speculo Disciplinæ ad Novitos parte I. cap. 21. *Ad collationem tempore jejuniū faciendam, ait, duabus*

tantum, vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiae congruit, & honestatis. Sanctus Carolus Borrom. parte 1a. Titulo de gubernatione spirituali, in cœnaculâ panis unciam cùm dimidiâ, & vini poculum tantum concedit. Sed circâ id nihil potest certò determinari; sed sequenda est regula D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. ad primum. *Dicendum*, inquit, *quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget.*

ARTICULUS IV.

De adjunctis, quæ cùm jejunio Ecclesiastico observare convenit.

PROPOSITIO Unica. Non solum jejunium Ecclesiasticum observandum est, modo ab Ecclesiæ præscripto, sed etiam ea adjuncta observanda sunt, sine quibus jejunium non potest esse vel salutare, vel meritorium, vel virtuosum.

Probatur 1º. Scripturâ. Constat esse aliqua jejunia, quæ Deo non placent: juxta illud Isaï. cap. 58. v. 3. *Quare jejunavimus, inquit, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. . . . *Numquid tale est jejunium, quod elegi?* Ergo jure Divino, & proindè Ecclesiastico, quo determinatur ius Divinum, jejunium ab Ecclesiâ præscriptum debet habere quedam adjuncta, quæ necessariò observanda sunt, ut jejunia sint apud Deum me-

2º. Ex Concilio Mediolanensi 5. p. 1. de
his, quæ ad dies festos & Sacra tempora per-
tinent, ubi sic habetur. *Quadragesimalibus*
aliisve jejunii, pænitentia, & publicæ sup-
plicationis diebus, fideles se vitæ disciplinâ se-
veriore astringant, Sanctisque institutis &
ribus sacro illi temporis convenientibus, se suos-
que, qui patres familias sunt, quam rectissime
in omnes partes conseruent. Ergo jejunium Ec-
clesiasticum quasdam habet pias circumstantias
adjunctas, sine quibus Deo & Ecclesiæ dis-
pliceret.

3º. Ratione. Jejunium Ecclesiasticum est
actus virtutis abstinentiæ, per Ecclesiam de-
terminatæ: atqui actus abstinentiæ non po-
test esse actus virtutis Christianæ: nisi fiat
cùm illis adjunctis, quæ necessaria sunt,
vel ut sit actus virtutis, vel ut sit actus
salutaris & meritorius coram Deo: Ergo
non solum jejunium Ecclesiasticum observan-
dum est, sed etiàm observanda sunt ea
adjuncta, quæ necessariò requiruntur, ut
jejunium sit, vel actus veræ virtutis chris-
tianæ, vel actus salutaris, vel actus merita-
rius coram Deo.

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ut jejunium Ec-
clesiasticum sit verum jejunium, debet esse
actus virtutis Christianæ; & proindè assump-
tus motivo aliquo supernaturali, v. g. mo-
tivo placandi Deum offendit, motivo re-
parandi

parandi peccata commissa, vel præcavendi ea, quæ committi possent. Sic non satisfaciunt præcepto jejunii Ecclesiastici, qui hinc subiectiuntur.

1°. Qui jejunat motivo vanæ gloriæ, ut jejunabant hypocritæ & Pharisei; quod jejunium ita emendar Christus dicens. Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ trites; exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes.

2°. Qui jejunat motivo vindictæ, ut liberior, expeditiorque sit ad ultionem contrà inimicos suos; uti jejunabant, qui mortem D. Pauli juraverant. Quod jejunium rejicit Deus apud Isaïam 58. v. 4 Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè: nolite jejunare sicut usquè ad hanc diem, ut audierit in excelso clamor uester.

3°. Qui jejunat motivo avaritiæ, uti jejunabant Judæi; quod jejunium ita corrigit Isaïas. 58. v. 7. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despixeris.

4°. Qui jejunat motivo merè naturali sine animo servandi Præceptum Ecclesiæ, alias non jejunaturus, non servat Præceptum Ecclesiæ. Juxta Antoni. 2. p. Tit. 6. cap. 3. Qui jejunat motivo v. g. scientiæ comparandæ, sanitatis conservandæ, &c. uti jejunabant plures Judæi, quibus dicit Joël. Sanctificate jejunium, & Zach. 7. v. 5. Cùm jejunaretis, & plangereis . . . numquid jejunium jejunastis mihi.

5°. Qui jejunando, affectum peccandi foret, nequaquam de conversione cogitaret.

98 MORALIS CHRISTIANA.
Quod jejunium sic emendat Joël. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra,* 2. v. 12. Valet tamen illud jejunium ad satisfaciendum Precepto Ecclesiae, ut non peccet mortaliter servando jejunium, quod incurrit, si non servaret. Anton ibid. modò habeat intentionem satisficiendi legi.

CONSECTARIUM II. Ut jejunium sit verè actus virtutis Christianæ, debet esse cùm aliis virtutibus conjunctum; si enim juxta Philosophos virtutes morales naturales debent esse inter se connexæ; à fortiori virtutes Christianæ; & ita qui jejunat, non solum gulâ, sed & aliis membris debet jejunare. De quo ita Bern. serm. 1. de Quadragesimâ. *Si gula, inquit, sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit: si vero peccaverunt & cetera membra, cur non jejunent & ipsa? jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus à curiosis aspectibus &c. Jejunet auris, nequiter pruriens à fabulis & rumoribus &c. Jejunet lingua à detractione & murmuratione &c. Jejunet manus ab operibus omnibus, quæcumque non sunt imperata; sed & multò magis anima ipsa jejunet à vitiis.*

CONSECTARIUM III. Ut jejunium sit cùm aliis virtutibus Christianis conjunctum, debet esse alienum à quibuscumque vitiis, Christianæ Religioni contrariis. De quo ita Aug. in appendice serm. 146. *Quid prodest, inquit, jejunare visceribus, & luxuriare vnguis, abstinere cibis, & errare peccatis, ca-*

stigare corpus inediā, vinum forte non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere . . . scire igitur debemus, fratres, acceptum esse Deo Jejunium, non solum ut abstinenti corpora casigemus, sed etiam humilitate animas induamus &c.

C O N S E C T A R I U M IV. Ut jejunium Ecclesiasticum sit alienum à virtutibus christianis contrariis, debet esse alienum ab omnibus illis lauitiis, quas gulosa cupiditas excogitavit. Quippè qui nimius est in illis ciborum condimentis, voluptates non minuit, sed mutat, & carnium abstinentiam ciborum quadragesimalium jucunditate compensat. Et ut optimè ait Aug. Serm. 207. alias de diversis 71. *Observatio quadragesimæ non est veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio.* Et serm. 110. cap. 8. ait. *Sunt quidam observatores quadragesimæ deliciosi, potius quam religiosi, exquirentes novas suavitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes.*

C O N S E C T A R I U M V. Jejunium Ecclesiasticum non solum debet esse à superfluis ciborum condimentis alienum, & omnibus lauitiis vacuum, sed insuper debet esse cum aliis corporalibus mortificationibus conjunctum, putâ cum silentio, cum solitudine, cum vigiliis &c. Tale enim fuit jejunium, quo Sancti homines justam Dei iram flectere variis temporibus conati sunt. Tale fuit jejunium Davidis. *Jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum, jacuit super terram.* 2. Reg. 12. v. 16 Tale fuit etiam jejunium Judæorum tempore Esther. *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco &*

cinere multis prestatō intentibus. Esth. 4. v. 3.
 Tale etiam fuit jejunium Ninivitarum. *Vestiti*
enim sunt saccis à majore usque ad minorem.
Jonx. 3. v. 5. Imò tale erat juxta Tertul-
 lianum jejunium paganorum. Quo satis evin-
 citur non in solā ciborum abstinentiâ sitam
 esse jejunii summam. *Omnem*, inquit, *Tapino-*
phronesim Ethnici agnoscunt; *cum cœlum stupet,*
& aret annus, *nudipedalia denuntiantur*, *Ma-*
gistratus purpuras ponunt, *fasces retro avertunt*,
precem indigitant, *Hostiam instaurant* . . . *sat-*
eis velati, *& cinere conspersi*. De jejun. cap.
 16. Tale demùm debet esse jejunium Christianorum,
 quos his verbis hortatur Ecclesia.
Utamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus,
somno, jocis, & arctius perstemus in custodiâ.

CONSENTANUM VI. Jejunium Ec-
 clesiasticum non modò debet esse superfluis
 ciborum condimentis vacuum, & cum corpo-
 rali mortificatione conjunctum, sed etiam
 cum oratione & misericordiæ operibus inse-
 parabili vinculo connexum. *Bona est*, inquit,
Angelus ad Tobiam, *oratio cum jejunio &*
eleemosinâ. Tob. 12. v. 8. & Christus loquens
 de Dæmonibus ait. *Hoc genus Dæmoniorum in*
nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.
Marc. 9. v. 29. & de Annâ viduâ dicitur.
Quod non discedebat de Templo, *jejuniis &*
orationibus, *serviens die ac nocte*. Luc 2. v. 37.
Illud jejunium approbat Deus, inquit Grego-
 riūs, *quod ad ejus oculos manus eleemosinarum*
levat, *quod cum proximi dilectione agitur*, *quod*
ex pietate conditur; *hoc ergo*, *quod tibi sub-*
trahis, *alteri largire*: *ut unde caro affligitur*,
inde eagentis proximi caro reparatur. homil. 16.
 in Evang.

ARTICULUS V.

*De gravitate peccati, quod committitur
violando jejunium Ecclesiasticum.*

PROPOSITIO Unica. Observatio jejunii Ecclesiastici obligat Christianos sub peccato mortali, nisi justam habeant excusationem.

Probatur. 1^o. Scripturā. Jejunium & sobrietas generali præcipiuntur mandato. *Attende autem vobis, inquit Christus, ne forte gravenur corda vestra in crapulâ, & ebrietate. Luc 21. v. 34. & Petrus 1. s. v. 8. Sobrii esto, & vigilate.* Paulus verò ad Rom. 13. v. 14 *Induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis:* Ergo sicuti tenemur sub peccato mortali crapulam sugere, sobrietatem sectari, & Christum induere; ita & tenemur sub mortali jejunare, cum id Ecclesia determinat, præcipue si determinet sub gravi pœnâ; quod unique facit Ecclesia, cum puniat Laicos privatione communio- nis, Clericos verò depositione.

2^o. Ex Conciliis. Concilium Gangrense, can. 19. juxta aliquorum translationem, ita habet. *Si quis absque corporali necessitate, tradita jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesiâ, dissolvat; anathema sit.* Idem probatur ex Concilio Carthaginensi 4. can. 63. ubi determinatur Clericum, qui tempore jejunii, absque inevitabili necessitate, jejunium rum- pit minorem habendum esse, id est deponen- dum. Idem habetur in Concilio Toletano 8.

can. 9. ubi dicitur: quod qui jejunium quadragesimale solverit, Non solum reus sit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem Diei Sanctissimâ communione. Demum Concilium Provinciale Mediolanense 5. ita expressè habet. *Quicumque sit, qui jejuniū lege adstrictus est, singulis quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, jejunium servet, alioquin enim peccato mortali alligatum se nosse debet.*

3°. Ex Patribus, juxta Cyrillum Alexandr. Violatio jejunii Ecclesiastici addicit inferno: sic enim habet Homil. 1a. Paschali, loquens de jejunis ab Ecclesiâ præscriptis. *Necessitatem habet, aut per labores jejuniorum liberari a malis, aut si illos recases, flammis inextinctis multari.* Juxta autorem sermonum de quadragesimâ adscriptorum Ambrosio, serm. 5. Non leve peccatum est fidelibus, indicet quadragesimam à Domino violare, Juxta Cæsarum. Aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est, in quadragesimâ non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet iudicamentum; in quadragesimâ qui potest & non jejunat, sentiet pœnam. Idem habet Theodulphus. *Quisquis inquit, non jejunaverit diebus scilicet ab Ecclesiâ præscriptis, pœnam sibi acquiret.* Pœna autem indeterminata infernum significat; & proinde arguit violationem jejunii præscripti ab Ecclesiâ esse peccatum mortale.

4°. Ex Theologis. Antonius 2a. Parte, titulo 6. cap. 2. sic expressè questionem determinat. Ex statuto Ecclesiæ universalis, jejunia qui omittaret; ex negligentia, vel gulâ, non infirmitate, vel oblitione, cum credit se posse jejunare, mortale est, & pro qualibet die

omissā unum. Demūm difficultatem omnem diremit Alexander septimus , damnando sequentem propositionem. *Frangens jejunium Ecclesiae , ad quod tenetur , non peccat mortali- ter , nisi ex contemptu , vel inobedientiā hoc faciat , putā , quia non vult se subjicere præcep- pto.*

5^o. Ratione. 12. Ratio. Infringere legem Ecclesiasticam in materiā gravi est peccatum mortale ; tum quia violatio legis justæ in materiā gravi est peccatum mortale : tum quia Christus violatores legis Ecclesiastice , ut ethnicos & publicanos habendos esse decernit: atqui violare jejunium Ecclesiasticum , cùm quadragesimale , cùm quatuor temporum , cùm vigilarum , est materia gravis ; cùm gravibus de causis ab Ecclesiâ hæc jejunia instituta fuerint : ergo violare jejunium Ecclesiasticum est de se peccatum mortale.

2^o. Ratio. Peccatum , cui addicitur pena gravis , est peccatum mortale ; quia gravitas peccati pensatur ex poenis , quibus subjicitur peccator : atqui violationi jejunii gravis pena addicitur : nam juxta Canones , Laici infractores jejuniorum excommunicantur , Clerici vero deponuntur , ut patet ex citatis canonibus , imò aliquandò jejuniorum infractores vel morte , vel evulsione dentium puniebantur , ut patet ex Brenaro Episcopo Merseburgensi . lib. 8. ergo violare jejunia Ecclesiastica est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant mortaliter, quicumque violent jejunium Ecclesiasticum, vel in toto, vel in eā parte, quæ ex iudicio Ecclesiæ gravis censenda est; sic rei peccati mortalis vetere habendi sunt, qui hic subjiciuntur.

1º. Qui omittunt jejunium uno die sine causâ, committunt peccatum mortale, si omittant pluribus diebus, totidem committunt peccata mortalia, pro qualibet die omisso unum, ut diximus ex Antonio; & autor sermonum quadragesimæ serm. 7. sic habet. *Quamvis abstineat quis certis diebus . . . non tamen illi accepto fertur quadragesimæ jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat.* Et quia, inquit Cajetanus verbo *Jejunium.* Quolibet die potest quis servare præcepitum jejunium illius diei; ideo de novo quotidie peccat peccato omissionis; quia quotidie omittit jejunium quadragesimæ, aut alterius temporis.

2º. Qui sine causâ utitur carnibus, diebus jejuniis, quia ex Toletano habetur à communione resurrectionis Dominicæ alienus, qui *Diebus quadragesimæ esum carnium præsumpsit attentare.* Can. 9. ideo cum pueri, cum senes, cum gravibus laboribus addicti, & qui excusantur à jejunio, peccant mortaliter, si utantur carnibus.

3º. Qui præter prandium & brevem cœniam ab Ecclesiâ toleratam, plures in eadem die jejuniis suscipiunt refectio[n]es, quia essentia jejuniij consistit in unicâ refectio[n]e. Ideo in-

quit D. Thom. Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur 2.2. q. 147. a. 6. Unde. damnata est sequens propositio ab Alexandro VII. In die jejunii, qui sœpius modicum quid comedit, eis notabilem quantitatem in fine comedere, non frangit jejunium.

4º. Demum jejunium Ecclesiasticum solvunt, qui in fraudem jejunii sumunt liquida magis destinata ad nutritionem, quam ad extinguentiam fitim; cuiusmodi sunt juscula confecta, vel ex amygdalis, vel ex hordeo, vel ex avenâ &c. qualia sunt, ut gallicè loquar, le Café, le Thé, le Chocolat, Hypocras, le Ratafia, la Fenouillete, & aliae liquidæ sorbitones, non ad fitim, sed ad voluptatem, ut ait Hieronymus, destinatæ. Quippe liquores hujusmodi per se juxta peritiores Medicos non minus nutrit, quam solidi cibi: Constant enim ex spirituosis corpusculis vigorem solidioris alimenti longè superantibus.

5º. Jejunium Ecclesiasticum solvunt etiam, qui in magnâ quantitate sumunt liquida per se destinata ad extinguentiam fitim, & per accidens ad nutritionem inservientia; cuiusmodi sunt, ut gallicè loquar, le vin, le cidre, la Bierre. Demum liquor omnis, qui vocari solet, Vinum fructuarium. De quo ita Aug. serm. de tempore. Sunt etiam, inquit, qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressionem pomorum, aliosque liquores exquirant. Illæ quippe sorbitones non possunt sumi in magnâ quantitate, nisi in fraudem jejunii. Idem enim de his liquoribus sentendum, quod de Electuariis sentit D. Thom. 2.2. q. 147. a. 6. ad

Dicendum, inquit, quod electuari, etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in FRAUDEM Electuaria in magnâ QUANTITATE assumeret per modum cibi.

MONITUM. Antiquitus tamen aqua etiam ipsa extra refectionem interdicebatur jejunantibus; Rex enim Ninivitarum indixit abstinentiam pariter & aquæ. *Homines*, inquit, & jumenta non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Jon. 3. & Esdras jejunans Panem non comedit, & aquam non bibit. Et ea erat apud antiquos Christianos lex. *Jejunamus; recuso potum*, inquit Prudentius. Hymn. 6. & Abbas Silvanus Zachariæ monacho volenti bibere aquam, usum aquæ ei interdixit, his solis verbis. *Jejunium est hodie.* Ruff. lib. 3. cap. 46. Jam vero usus aquæ, aut alterius liquoris destinati ad ciborum dissolutionem extiâ refectionem in moderatâ quantitate non interdicitur, ut docet D. Thomas his verbis. *Licet plurijs jejunantibus, scilicet diversis horis, bibere: si quis immoderatè potutatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderatè cibum in unâ comedione assumat.* 2.2. q. 147. a.6. ad 2.

CONSPECTARIUM II. Peccant tantum venialiter, qui violant jejunium Ecclesiasticum, vel sine plenâ deliberatione, vel in aliquâ parte, quæ prudentum iudicio non habetur tanquam essentialis. Peccatum enim ex suo genere mortale, sit veniale, vel ex in-

deliberatione , vel ex levitate materiæ : proinde qui hic subjiciuntur , peccant tantum venialiter , licet in aliquo violent jejunium Ecclesiasticum.

1º. Qui sine ullâ dispensationis causâ maneat sumunt eam quam vocamus *collationem* , & prandium in vespertinum tempus differunt ; quia, inquit Cajetanus , *Id nec consuetudo excusat, nec jus concedit.* Dixi sine causâ ; nam si adsit legitima causa , vel quia ita exigit infirmitas personæ , vel negotiorum , tunc nullum erit peccatum etiam veniale.

2º. Qui sine legitimâ dispensationis causâ tempus prandii anticipat. *Quia* , ut optimè ait Cajetanus , *sola vis jejuniū consistit, in prorogatione inedia usque ad horam tardiorem.*

3º. Qui sine legitimâ etiam causâ extra prandium , vel cœnulam ex Ecclesiæ usu toleratam ; sumit aliquid , etiam modium cibi , vel potūs non necessarii ad dissolutionem ciborum : quia , ut dicit D. Thom. ea intemperantia perdit meritum jejuniū.

4º. Qui fracto semel jejunio sine causâ , quâ transgressione peccavit , ut supponimus , mortaliter , postea pluriē edit , aut bibit ; quia licet fortè non faciat contra præceptum jejuniū illius diei , eo quod impossibile sit observare jejunium , quod jam solutum est , tamen facit contra temperantiam quæ vetat , ne citrā necessitatem cibis & potibus utamur.

5º. Qui etiam eā horā , quâ permitta est refectio vel prandii , vel collationis , ut vocant , excedit vel in cibo , vel in potu ; quia numquam licitus est excessus , vel in cibo , vel

168 MORALIS CHRISTIANA.
in potu, qui que à fortiori strictus veratur tempore jejunii.

ARTICULUS VI.

*De causis legitimis excusantibus omnino ab
observantia jejunii Ecclesiastici.*

PROPOSITIO unica. Tria sunt, quæ legitimè excusat possunt omnino ab observantiâ jejunii Ecclesiastici, scilicet. 1º. Infirmitas corporalis. 2º. Ætatis debilitas. 3º. Necesitas quælibet incompatibilis cum jejunio Ecclesiastico.

Probatur. 1º. Scripturâ. Deus impossibilia non jubet, ait enim. *Fugum meum suave est, & onus meum leve:* Ergo neque Ecclesia. Ergo præceptum jejunandi non ligat eos, qui vel præ infirmitate, vel præ ætatis debilitate, vel præ urgenti necessitate cum jejunio incompatibili jejunare non possunt.

2º. Ex Aug. Epis. 70. ad Bonifacium. *Exerce, inquit, jejunia, quantum sine lafione tui corporis potes:* Ergo infirmitas corporis, aut ætatis debilitas, vel quæcumque alia necessitas excusant à jejuniis.

3º. Ex Concilio Toletano VIII. can. 9. ubi sic habetur. *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate esum carnium præsumperit attentare.*

Illi autem quos aut ætas incurrit, quales sunt senes; aut languor extenuat, quales sunt ægroti; aut necessitas arbat, quales sunt omnes, qui exercitiis cum Jejunio Ecclesiasti-

eo incompatibilibus occupantur, non ante prohibita violare præsumant, quām à Sacerdote permīssum accipiant: ergo censet Concilium tria hæc, scilicet morbi infirmitatem, ætatis debilitatem, & urgentem necessitatem legitime nos à jejunio dispensare. Jubet tamen Concilium ut prius Sacerdotem consulamus, ne forte cupiditatī magis quām præcepto favamus.

4^o. Ratione. Ex dictis de sanctificatione fætatum, impotentia vel physica, vel moralis excusant legitimè à Præcepto audiendi Missam: ergo & excusant à Præcepto jejunandi; quia cum utrumque præceptum sit juris Ecclesiastici, utrumque est æqualiter dispensabile.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Infirmitas corporis, vel occulta, vel manifesta, quam jejunium Ecclesiasticum, vel soveret, vel augeret, excusat à jejunio; quia est impotentia jejunandi. Ideo quotiēs Concilia & Patries jejunandi obligationem imponunt, rotiēs eos eximunt à jejunio, *Qui propter imbecillitatem corporalem à jejunio impediuntur.*

Sic excusantur a jejunio, qui febri laborant; necessum est enim, ut juscūlis nutrientur. Item qui graves stomachi dolores, aut capitis vertigines, cordisve deliquia jejunando sentiunt; oportet enim, ut frequenti cibo huiusmodi malis medicantur. Item qui levibus morbis detinentur, cum periculum est; *Ne aegritudo, quæ modo levior est, & quasi suspensa creditur,*

110 MORALIS CHRISTIANA:
per exacerbationem post modum gravior sentiatur.
Ut dicit Greg. 34. Lib. II.

CONSECTARIUM II. Debilitas etatis, qualis est, vel in pueris saltēm non adultis, vel in senibus saltēm decrepitis, excusat omnino ab observantiā jejunii; quia in pueris status augmenti, quod eget frequenti cibo, in senibus vero status decrementi, quod eget patiter frequenti cibo, ab Ecclesiastico jejuno videtur omnino dispensare. Sic enim de pueris habet D. Thom. 2. 2 q. 147. a 4. ad 2. In pueris maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumptio; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod sit de residuo clementi; & ideo quandiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. De senibus vero sic habet D. Antoninus. Senes, si sunt multum debiles, eo modo excusari possunt, sicut dictum est de infirmis. 2. p. tit. 6. cap. 2. §. 5.

CONSECTARIUM III. Status quilibet incompatibilis cum jejuno Ecclesiastico excusat ab eodem jejuno; quia tunc adeat impossibilitas moralis servandi jejunium. Id videntur asserere hæc verba divi Thom. in 4. dist. 15 q. 3. art. 2. q. 4. Intentio, inquit, legislatoris est conservare homines, & inducere ad bonum statum virtutis; qui quidem consistit in conservatione vitæ, & valitudine sufficienti ad opera, quæ quis facere debet.... & ideo sive ægritudine imminente, sive labore

vix, sive quocumque alio, cum quo simul & jejunio prædictus statutus conservari non potest, non tenetur ex præcepto jejunare, sed secundum dispensationem superioris.

Sic excusantur à jejunio Ecclesiastico mulieres nutrices & prægnantes; quandiu enim sunt in eo statu, egent multiplici cibo, tum pro se, tum pro fætu, vel prole.

Sic pariter à jejunio eximuntur pauperes, qui non habent ea, quæ ad unicam in die comedionem sufficient; minimè verò alii qui unicam sibi comedionem comparare possunt. De quibus ita D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. Pauperes, inquit, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unicam comedionem, non excusantur proprie paupertatem à jejunis Ecclesiæ, à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim Eleemosynas mendicant, qui non possunt habere quod eis ad vivendum sufficiat.

Sic demum à jejunio Ecclesiastico excusantur omnes illi, quorum exercitium vel mentis, vel corporis cum jejunio Ecclesiastico non potest consistere, quod his verbis determinat D. Thomas. Si autem, inquit immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam LABORANDI, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel proprie aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & SIMUL CUM HOC NON POSSINT JEJUNIA ECCLESIASTICA OBSERVARI, non obligatur homo ad jejunandum; quia non videntur fuisse intentio Ecclesiæ statuensis jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias causas. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. Hinc, inquit Cajetanus, V. jejunium, excusantur à jejunio

non solum laborantes in agriculturâ, sed in quâcumque arte, qui aut vix sic, aut nec sic acquirere possunt. Omnia necessaria sibi, familiæque suæ, &c. Si cum hujusmodi exercitio non possunt simul jejunare. Hinc pariter, ut docet idem Cajetanus ibid. Qui vel ex Officio, vel ex charitate, exercent opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, v. g. Docent in Scholis, prædicant in Ecclesiis, &c. Sepeliunt mortuos, ministrant ægrotis, excusantur à jejunio. Si cum his non possunt jejunare; quoniam opera utriusque misericordiæ meliora sunt, quam jejunium. . . . & quia jejunium præcipitur, ut promotivum ad bonum, & non impediūt majoris boni.

ARTICULIS VII.

De Causis legitimis ex parte excusantibus à totali observantiâ jejunij.

PROPOSITIO Unica. Quando tria hæc, scilicet corporis infirmitas, ætatis debilitas, & necessitas cum jejunio incompatibilis, non talia sunt, ut excusat à totali jejunii severitate, sed solum à certo jejunii rigore, tunc servanda est ea jejunii austeras, quæ observari potest.

Probatur 1º. Scripturâ. *Quæcumque potest manus tua, instanter operare, inquit, Ecclesiastes, cap. 9. v. 1. Ergo fidelis, qui non potest singula, quæ præcipiuntur tempore jejunii, præstare, debet saltem exactè exequi, quæ ei sunt possibilia.*

2º. Ratione, Quoties lex plura continet,

quæ moraliter dividi possunt, ea observanda sunt, quæ non sunt impossibilia; Lex enim justa ligat quoad eam partem, quæ non est impossibilis. Sic si debeas centum nummos, & possis solvere tantum quinquaginta, ne quis retinere quinquaginta, sed debes ea solvere, ne sis injustus detentor. Sic nequeas recitare integrum officium, v. g. matutinum, eo quod careas Breviario, debes recitare eas horas, quas habes in Diutnali, ne sis reus negligentiæ, & indevotionis in recitandâ cå officii parte, cuius recitatio tibi in promptu est; sic etiam, si tenearis vacare servilibus die festo, quia non habes, unde vivas, possis verò commodè audire Missam, teneris audire Missam, ne sis infractor illius præcepti. *Diebus festis Missam reverenter auditio:* Ergo qui non potest singulas jejuniæ circumstantias observare, potest vero aliquas, tenetur eas exequi, quæ ei sunt possibles, ne sit infractor ejus partis, quam potest observare.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Qui ob causam legitimam nequit uti cibis quadragesimalibus, quales sunt hi, quibus ob adustum sanguinem maximè nocet abstinencia: Si iidem non egeant repetitis refectionibus, uti possunt carnis; quia ad hoc habent legitimam, ut supponimus, dispensationem; sed unicâ refectione tempore jejuniî contenti sint, oportet; quia non habent dispensationem, quâ cœlicitæ sint plures in die jejuniî refectiones. Qui pariter pluribus & repetitis egent in eâ-

114 MORALIS CHRISTIANA.

dem die refectionibus , quales sunt pueri ; si uti possint cibis quadragesimalibus , poterunt dispensari à jejunio , minimè verò ab abstinentiâ à carnibus ; quia causam non habent , quâ eis fiat licitus carnium usus. Jejunium enim & abstinentia duæ sunt res , quæ ab invicem facile separari possunt , & quia duo sunt præcepta inter se distincta , ut inauit Trident. s. 25. His verbis . Fideles iis præcipue sint obsequentes , quæ ad mortificandam carnem conducunt , ut ciborum delectus , en abstinentiam , & jejunium , en unicam in die refectionum. Ideò licet abstineamus à carnibus dominicis quadragesimæ , non tamen iisdem diebus jejunamus.

CONSECTARIUM II. Infantes puberes , licet nondum tertium septennium attigerint , debet interdum juxta quantitatem viuum jejuniiis Ecclesiasticis assuefieri , ut monet D. Thomas. Quoties id commodè fieri potest : conveniens tamen est , inquit , ut pueri se ad jejunandum exerceant , plus , vel minus secundum modum suæ etatis , quandoque tamen magnâ tribulatione imminentे in signum pœnitentiae arctioris , etiam pueris jejunia indicuntur : sicut etiam de jumentis legitur. Joæ. 3. d. Tho. 2. 2. 147. a. 4. ad. 2.

CONSECTARIUM III. Qui non possunt singulis diebus , bene tamen alternis jejunare , debent alternis diebus , prout vires suppetent , jejunia observare , ut optimè monet Cajetanus , verbo jejunium. Satisfacit enim , inquit , Ecclesiæ præcepto , qui impotentem se putans ad jejunium totius quadragesimæ , alternis diebus jejunat , aut bis , aut semel in hebdomadâ juxta vires suas.

CONSECARIUM IV. Qui possunt singulis quidem diebus jejunare sed non ita rigidè, ut Ecclesiâ jubet, v. g. egent ob debilitatem stomachi modicum quid quolibet manefumere; vel coguntur vesperè cœnare, & mane collationem, ut dicunt, præmittere, ne noctes omnino insomnes traducant, debent, & pro viribus; & ut possunt, jejunare. *Moralia enim præcepta, ut monet Cajetanus ibid.* moraliter sunt interpretanda in execuzione, ut mos bonus intentus in execuzione, quantum fieri potest, observetur.

C A P U T III.

De Præceptis, quibus Ecclesia jubet, ut debitum stipendium v. g. Decimas, oblationes, &c. Ecclesiæ Ministris solvamus.

ARTICULUS UNIUS.

Quo jure debeantur Ministris Dei oblationes, primitiae, & decimæ.

PROPOSITIO I. Obligatio sustentandi Ministros Dei est de jure naturali. Probatur 1º. Scripturâ. *Dignus est operarius mercede suâ.* Math. 10. Ergo sicut jure naturæ debetur merces operariis corporalibus, ergo & operariis spiritualibus.

2º. Ex D. Thom. 2. 2. q. 87. a. 1. Ubi sic habetur. *Quod enim eis, inquit, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria vietis ministraret: ratio na-*

turalis dicitur, sicut & his, qui communis utilitatis invigilant, scilicet principibus, & militibus, & alia hujusmodi stipendia vietus debentur a populo.

3*. Ratione desumpta ex D. Paulo 1a. ad Corinthios 9. Miles jus habet exigendi stipendum a populo, Pastor jus habet expectandi lac, & lanam a grege, agricola fructus ab arbore; juxta illud. *Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?* 1a. ad Corint. 9. v. 7. Ergo Ministri Dei jus habent exigendi sustentationem a populo, cui ministrant. *Qui enim altari deseruiunt, cum altari participant.* v. 13.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Obligatio sustentandi Ministros diversimodè obligat juxta diversam legis positivæ determinationem; quia lex naturalis obligat juxta modum secundum quem per legem positivam determinatur. Hæc autem lex naturalis nutriendi Ministros altaris variè determinata est; siquidem tempore legis naturæ. *Sicuti*, inquit D. Thomas, *non erant determinati Ministri*, ita non erat aliqua pars determinata exhibenda Ministris Divini Cultus; sed ubi aliquis occurrebat, unusquisque dabat ei propriâ sponie quod sibi videbatur, sicut Abraham, quodam Prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi, & similiter Jacob vorvit se datum decimas 2. 2. q. 87. a. 1. ad 3. In lege ve-

ro Mosaïcā oblationes , primitiæ , & decimæ determinatæ sunt ad nutriendos Dei Ministros. *Offeretis* , inquit Moyses , Deut. 12. v. 6. *decimas* , & *primitias manuum vestiarum*. Christus verò in Evangelio nihil determinavit in particulari exigendum à Laicis pro nutritione Ministrorum , sed teste D. Paulo , *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere.* 1^a od Corint. 9. v. 14.

C O N S E C T A R I U M II. Ad cognoscendum quæ sit obligatio oblationum , primitiarum , & decimatarum non attendendus est usus , qui viguit in veteri Testamento , sed spectandus est usus , qui viget in Ecclesiâ ; quia determinatio præcepti naturalis sumi debet à Christianis , non à lege Mosaïcâ , sed à lege Ecclesiasticâ : sicuti enim observantiam festorum custodimus , non ut jussit Moyses , sed ut jubet Ecclesia ; ita oblationes , primitias , & decimas servare nos convenit , non ut præcripsit Moyses . sed ut determinayit Ecclesia . . . ideo sit.

P R O P O S I T I O II. Fideles tenentur oblationes , primitias , & decimas Ministris Dei tradere , non juxta legis Mosaïcæ consuetudinem , sed juxta Ecclesiæ determinationem.

Probatur 1^o. Scripturâ. Generaliter dicitur. *Si quis Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut Ebnicus , & publicanus;* ergo ad Ecclesiam pertinet determinare quomodo lex naturalis sit observanda ; ergo obligatio naturalis dandi oblationes , primitias , & decimas est observanda juxta Ecclesiæ determinationem , &

113 MORALIS CHRISTIANA:
non juxta legem Mosaicam , quæ quod ad
hoc à Christo antiquata est.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 87. a. 1. ad 2.
Ubi sic habetur. *Dicendum.*, inquit Sanctus
Doctor , quid præceptum de solutione oblation-
num , primitiarum , & decimarum , quantum
ad id quod erat morate , datum est in Evangelio
à Domino , ubi dicit. Math. 10. *Dignus est*
operarius mercede suâ. Et etiam ab Apostolo , ut
patet 1. Ad Corin. 9. Sed determinatio certa
partis est reservata ordinationi Ecclesiæ ; ergo
fideles non tenentur dare oblationes , pri-
mitias , & decimas nisi juxta determinatio-
nem Ecclesiæ.

3°. Ratione. Præceptum Morale non ligat,
nisi juxta determinationem legis positivæ ci-
viliæ , vel Ecclesiasticæ , ut diximus ubi de
lege : atqui obligatio nutriendi ministros Ec-
clesiæ est naturalis : ergo non ligat nisi juxta
determinationem legis Ecclesiasticæ.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Oblationes , &
primitiæ dantur ministris Ecclesiæ , tanquam
dona voluntaria , & quæ exigi nequeunt , nisi
in certis casibus , quia talis est determina-
tio Ecclesiæ : dicit enim Gregorius loquens
de oblationibus. *Canone omnis Christianus*
d. §. Omnis christianus procuret ad Missarum
solemnia aliquid Deo offerre : ergo oblationes
sunt voluntariæ , & non exigibiles. Potest ta-
men contingere , ut docet D. Thomas ; quod
aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ra-
tione. 1°. Quidem ex præcedenti conventione

ne, sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiae eā conditione, ut certis temporibus certas orationes faciat, quod tamen habet rationem censūs. 2º. Propter præcedentem deputationem sive promissionem sicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiae, aliquam rem vel mobilem, vel immobilem in posterum solvendam. 3º. Propter Ecclesiae necessitatem, putā si Ministri non haberent unde sustentarentur. 4º. Propter consuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad alias oblationes consuetas: tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

Hactenū divus Thomas 2. 2. q. 86. ar. 1. in corp. & ibidem loquens de primitiis a. 4. ait: quod primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent, & proinde quod debent esse voluntariæ & juxta determinationem Ecclesiae, secundum consuetudinem patriæ, & indigenitiam Ministrorum Ecclesiae.

C O N S E C T A R I U M II. Fideles tenentur dare decimas Ministris Ecclesiae non tanquam donum voluntarium, sed tanquam retributio necessariò solvenda necessitate præcepti, & quæ exigi possit in foro contentioso & viâ excommunicationis; quia ita determinavit Ecclesia. Sic enim habetur. c. 16. q. 1. *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt.* Verba sunt Aug. Citcea quod ita loquitur Trid. *Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum*


120 MORALIS CHRISTIANA.

solutio spectat, ut eas, ad quas de jure ienescuntur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur.

MONTIUM. Oblationes, primitiæ, decimæ penduntur Ecclesiæ secundum consuetudinem patriæ, ut dicit D. Tho. q. 87. a. 2. Ideò totuplex est modus solvendi decimas, quotuplex est diversa regio, diversa consuetudo; sive attendas res de quibus solvuntur decimæ, sive quantitatem decimarum spectes.

Decima non est semper ea pars, quæ nonam subsequitur, sed est ea, quam usus determinavit, scilicet aliquando septima, aliquando octava, aliquando undecima.

Triplex assignari solet decima personalis, prædialis, & mixta. Decima personalis ea est, quâ datur pars aliqua fructuum provenientium ex industriâ, & operâ personæ. Prædialis, seu realis est aliqua pars fructuum, qui ex prædiis percipiuntur. Mixta est ea, quæ partim ex hominis industriâ partim ex prædiis provenit, ut sunt fœtus animalium. Decimæ personales solvuntur post lucrum acquisitum. Prædiales post fructus collectos, Mixtæ post fœtum completum: & hæc omnia juxta locorum consuetudinem variantur. Quæ proinde cum magis pertineant ad forum contentiosum quam ad casus conscientiæ. Ideò quæ hic agitare solent questiones omittimus, ut ad Tractatum de censuris transeamus.



TRACTATUS II.

De Censuris Ecclesiasticis.

EXPLICATI S Ecclesiæ Præceptis, Congruus ordo postulat, ut de Censuris Ecclesiasticis agamus; id est, de illis penit spiritualibus, quibus Ecclesia utitur. *Ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiastice saltem coërceat severitas disciplina.* ut habetur cap. 7. extra de Elec.

CAPUT I.

De Potestate, quam habet Ecclesia infligendi censuras.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit in Ecclesiâ potestas infligendi censuras?

PRROPOSITIO Unica. Ecclesia habet potestatem infligendi censuras, seu penas spirituales; quibus fideles Baptizati Contumaces, non interfectoriè, sed medicinaliter, ut dicit Aug. privantur usu aliquorum bonorum spiritualium, quæ sunt in Ecclesiâ.

Probatur 1º. Scripturâ. Christus fundando

Tom. V.

L

Ecclesiam, dedit Pastoribus non solum potestatem reconciliandi peccatores penitentes, sed etiam ejiciendi & coercendi peccatores rebelles, & contumaces. Quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis, & simul addit, quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. v. 23. & Matth. 18. v. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis.* Et ut Christus indicaret, quam potestatem dederat, non solum forum internum penitentiae; in quo remittuntur, vel retinentur peccata, sed etiam forum externum, in quo infliguntur censuræ, respicere, Addit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit ibi sicut Ethnicus, & publicanus. Id ut ab Ecclesiâ ejiciatur, & habeatur ut extraneus, non secùs ac paganus.

2°. Ex Conciliis. In Concilio Constantiensi sess. 8. Damnati sunt Articuli VViclef; trigesimus autem sic exprimitur. *Excommunicationis Papæ, vel cuiuscumque Prælati non timenda est; quia est censura Antichristi.* Quam propositionem, ut erroneam, hereticam, & scandalosam damnavit Concilium. Tridentina verò Synodus sess. 25. de Reform. cap. 3. vim ferendi censuras in Ecclesiâ agnoscit, eaque autoritate non temerè utendum decernit. *Quamvis, inquit, excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiastice disciplinæ, & ad continentos in officio populos valde salutaris: sobriè tamen magnâque circumspectione exercendus est.*

3° Ratione. In omni Republicâ bene ordinatâ, in quâ est potestas ferendi leges, debet esse pariter potestas infligendi pœnas; quia leges passim violentur, & sine robore sunt;

si non sint statutæ aliquæ pœnæ contrà contumaces ; atqui in Ecclesiâ est potestas statuendi leges , ut patet ex dictis. Ergo est potestas pariter infligendi pœnas. Et quia Ecclesia est respublica spiritualis , pœnas infligit , non corporales , sed spirituales ; & ideo tantò magis timendæ ; quantò magis Spiritus præstat corpori.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. *Spectans omnes fideles.* Debent omnes Christiani Censuras Ecclesiasticas multò magis , quām pœnas temporales , quæ à potestate sacerdotali infliguntur , præmetuere ; quia pœnae temporales affligunt corpus ; pœnae verò spirituales animam. De hoc nos ita admonet Chrysost. Homil. 4. in Epist. ad Hebr. *Nemo , inquit , continent vincula Ecclesiastica ; non est enim homo , qui ligat , sed Christus , qui nobis dedit hanc ligandi potestatem , & efficiens , ut homines in suâ potestate habeant tantum honorem.*

C O N S E C T A R I U M . II. *Spectans omnes fideles.* Debent omnes Christiani potestatem illam , quam habet Ecclesia in: fligendi censuras , non modò prætimere , sed etiàm interiore affectu diligere : quippè Ecclesia , ut pia mater , non cå utitur , nisi in bonum. Ut docet Aug. libr. 3. contr. litt. petil. cap. 4. Non interfectoriè percutitur , sed medicinaliter utitur. *Medicinali , inquit , vindictâ , terribili lenitate , & severitate charitatis , non ad erradicandum , sed ad corrugendum ; & ut Paulus Corinthium incestuosum judica-*

124 MORALIS CHRISTIANA.
vit. Tradere hujusmodi satanæ in inferitum
carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini
Nostri Jesu Christi. 1a. ad Corin. 5. v. 5.
Ita Ecclesia non Censuris utitur, nisi in bo-
num animarum. Unde, ut optimè ait Hiero-
n. Non queramur de lege Censuratum, sed
queramur, quod meruerimus hanc legem.

CONSECTARIUM III. *Respiciens Pastores.* Pastores numquām debent censuris uti, in vindictam privatrum offensatum; sed solum in bonum Ecclesiæ. Ideò, inquit, Gregorius. Moyses querelas populi semper ad Dominum, tabernaculum ingressus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat: nimirūm nos instruens, ut non ex corde nostro, sed ex precepto Divino, condemnationis, vel justificationis sententiam proferamus. II. q. 3. Can. 70. & Calixtus, can. 89. vetat ferti Sententiam. *Vel regio meu, vel potentum jussu;* unde si nec reo, nec Ecclesiæ profutura esset censura, non esset adhibenda; Si tamen reo non profutura sit, si Ecclesiæ sit necessaria, eā uti oportet, inquit Hierony. in Epis. ad Galat. cap. 5. Resecandæ sunt, inquit, putride carnes, & scabiosæ oves à cau- lis repellende, ne tota domus, missa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant.

CONSECTARIUM IV. *Respiciens Pastores.* Quando Pastores judicant necessariam esse censuram, inviti id faciant & cum gemitu, memores nullum majus malum fidelibus posse accidere, quām ab Ecclesiâ Christi sepa- rari. Qui enim per censuras ab Ecclesiâ ejus- citur; alienus fit ab illo regno, de quo scrip- tum est. *Gens & regnum, quid non servierit?*

tibi, peribit. Sejunctus est ab illâ columbâ, cuius gemitu peccata solvuntur. Inquit Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum. Non habet Deum Patrem; quia Ecclesiam non uit habere matrem, ut docet Aug. Serm. ad Cathecumenos. cap. 13. Extrâ ovile Domini positus, Sathan traditur, periculis omnibus exponitur, devorandus luporum dentibus, atque vexandus. Inquit Innocentius. Epis. ad Patres Synodi millevitas. Membrum est putridum separatum à capite; palmes arescens, sejunctus à vite; ovis errans, sine pastore; miles inermis, sine duce; navis fluctuans, sine gubernatore. Si ergo Censuras aliquando infligant Pastores, id faciant humilitate lugentium, non sœvientium severitate: ut monet passim Aug & Sicut cùm dolore amputatur pars corporis, quæ putruit, ut dicit Amb. lib. 2. off. cap. 27. itâ non nisi cùm maximo dolore Abscindantur hi, qui nos conturbant. Paul. ad Gal 5. Quo circa Aug. ita Prælates admonet. Non temere, aut quomodolibet auferendi sunt mali ab Ecclesiæ communione; tolerentur potius, si per iudicium auferri non possunt, ne perverse malos evitando, ab Ecclesiâ distedens, eos quos fugere videtur, vinciat in gehennam. homil. 50. de pænit. nam, ut ait idem Aug. Lib. 3. cont. Parmen. cap. 2. Tantò efficacior est emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis.

ARTICULUS II.

An novus, vel antiquus sit usus Censurarum?

PROPOSITIO unica. Non novus, sed antiquissimus est, tum in Sinagogâ, tum in Ecclesiâ Censurarum usus.

Probatur. Percurtendo diversa tempora, tum Sinagogæ, tum Ecclesiæ.

1°. Deus, ut autor censurarum videretur, Adamum, velut aliquâ excommunicatione, è Paradiso ejicit, ut docet Aug. 11. De Genes. ad litt. cap. 4. Eique interdixit usum ligni vitæ: cui concordat Salvianus lib. de gubern. Dei. In constitutione, inquir, Adami Innocentis in Paradiso ordinatio est; in expulsione iudicium, & quædam censura iudicij. Unde in solemnis pœnitentiæ impositione, Sacerdos inflictam primis parentibus censuram commemorat; ut sciamus non novum, sed antiquum esse censurarum usum. Ecce, inquit, ejiceris hodiè de limib[us] sanctæ matris Ecclesiæ, propter peccata tua, sicut Adam ejectus est de Paradiso, propter transgressionem suam.

2°. Deus, in figuram excommunicationis, in veteri Testamento potestatem Sinagogæ dederat, ut leprosos ejicerent ab hominum consortio, etiamque repulsam Maria, Soror Moysis, per octo dies sustinuit, eaque potestate abusi sunt Judæi comminantes: Ut si quis Christum confiteretur, extra sinagogam fieret. Joan. 9. & Christus dixit discipulis suis. Absque sinagogis facient vos Judæi. Joan. 16.

3°. Ecclesia à tempore Apostolorum usque

ad nos, censuris usū est. Paulus eam exercuit autoritatem. Primo contra Corinthium incestuosum; *Quem tradidit satanæ in interium carnis, ut spiritus salvus esset.* Secundò contra Hymenæum, & Alexandrum 12. Tim. 1. v. 20, qui circā fidem naufragaverant. *Quos tradidit, inquit, satanæ, ut discant non blasphemare.* Tertiò contrà fornicarios. *Scripsi vobis, inquit, ne commisceamini cùm fornicariis.* 13. Ad Corin. 5. v. g. Quartò demùm contra inobedientes verbo Dei. *Si quis, inquit, non obedit verbo nostro per epistolam hunc, notate, & ne commisceamini cùm illo, ut confundatur.* 22. Ad Thesal. 3. v. 14.

4º. Mos utendi censuris, ab Apostolis, ad Episcopos proximè succedentes transiit; Tertullianus enim Apolog. cap. 39. describens Conventus Christianorum ait. *Ibidem autem fiant exhortationes, castigationes, & censuræ divine, nam & judicatur magno cùm pondere.... si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & oranis sancti commercii relegateatur.* Hieronymus verò sic usum censurarum describit. Epist: 1. ad Heliodorum. *In veteri quidem, inquit, lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset; aut extrà castra positus lapidabatur à populo, aut gladio, cervice subjecta, contemptum expiabat cruento; nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesiâ rabido demonum ore discerpitur.* Augustinus verò lib de fide, & operibus, cap. 2. loquens de eo zelo, quo Phinees Sacerdos, ultore gladio, fornicantes Judeos confixit, ait. *Quod uiquè degradatiibus, & excommunicationibus signatum est.*

faciendum esse hoc tempore , cum in Ecclesiæ disciplinâ visibilis fuerat gladius cessaturus.

5° Sed perennem Censuratum usum tam contrà Clericos , quam contrà Laicos , citra omnem controversiam evincit publica poenitentia , cui addicebantur Laici , in grave crimen aliquod lapsi , & Laica , Ecclesiastica , & peregrina communio , ad quam obligabantur Clerici , qui aliquid indignum statui Clericali commiserant . Si quidem publica poenitentia quamdam à fidelium cœtu separationem annexam habebat ; communio vero Laica , Ecclesiastica & Peregrina Clericos ab aliorum Clericorum consortio separabat . Laicæ communione puniebantur Clerici , cum exauthorati pro Laicis habebantur , ut explicat Cypr. Epis. ad Stephanum Papam ; Ecclesiasticæ communione mulctabantur , cum eis vetabatur omnia sui Officii munia obire : ad peregrinam vero communionem redigebantur , quando in eo loco , & statu collocabantur , quo poni solebant Clerici Peregrini , qui sine litteris Commendatitiis , quas formatas vocabant ; extra propriam Diocesim peregrinabantur , ut explicat Albaspinæus in optatum .

6° Non Censuras vagè , & in communione commemorat antiquitas , sed etiam in specie , & in particulari . Quippe irregularitas , quæ affinitatem habet cum censuris , ex Apostolo ortum duxit , dum Bigamos , & Neophytes vetat ad Sacerdotium assumi . Interdicto usus est Basilius , dum , Epis. 244. iubet , quod villa , quæ raptorem suscepit cum raptâ , nec rediderit ; prorsus suspensa sit à precibus , & orationum Communione . Ergo patet ex illâ in-

Auctione , antiquum esse Censurarum usum. Qui postea cœpit esse posterioribus sæculis frequentior. Sed omni tempore & fuit , & erit in Ecclesiâ legitimus censurarum usus, ut notat Vincentius Lirinen. Commonit. num. 9. *Anathematizare eos, qui annuntiant aliquid praeterquam quod scriptum est, numquam non oportuit, numquam non oportet, numquam non oportebit.* Quod de hæresi censet Lirenensis, ad alia atrocia crimina transferre convenit.

Consecataria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. *Pro omnibus fidelibus, tam Laicis, quam Clericis.* Singuli fideles debent religioso metu præcavere singulas illas Censuras ; & singula Monitoria , quæ in diebus Dominicis , & Festis solemnioribus In Prouxo proclamantur. Si enim nefas putamus , jejunia Ecclesiastica quadragesimæ , & quatuor temporum , & abstinentiam à carnibus die Veneris , & Sabbati violare; eò quod piam illam consuetudinem à Christo per Ecclesiam acceperimus : quidni pari reverentiâ Censuras præcavehimus , cùm potestatem infligendi Censuras , Christus Ecclesiæ tradiderit ; ususque Censurarum semper in Ecclesiâ fuerit religiosè observatus ?

C O N S E C T A R I U M II. Clerici debent sedulò studio Censurarum incumbere ; tūm ne eas etiam ignoranter incurant ; quia ignorantia crassa , & affectata non excusat à Censuris ; Tūm quia ignorantes casus, quibus censura annexa est , exponunt se periculo absolviendi eos , quos nequunt absolvere ; tūm

130 MORALIS CHRISTIANA.
demum, quia cognitio censuratum præcipuum
juris Canonici partem efficit. Ergo nefas est
Clericis eam juris Canonici partem ignorare,
quo circu[m] eam materiam, variis dispersam
locis, in isto Tractatu restringemus. Ideo sit

C A P U T II.

*In quo Traditur clara diversi generis Censura-
rum notitia.*

CENSURA, si primam species significatio-
nem, ea est sententia, & correctio, quam
infligebant Judices quidam Romani, qui cen-
sores vocabantur. Si secundam species signifi-
cationem, censura est quæcumque correctio,
in quo sensu Salvianus ait, Lib. 8. de gubern.
Dei. *Quidquid malorum quotidiè p[er]narum per-*
ferimus, censura est Divinæ manūs. Sed cen-
sura ab Autoribus Ecclesiasticis sumitur, pro-
ut est poena spiritualis. Ideo sit.

§ I.

Quid sit Censura juxta Autatores Ecclesiasticos.

Censura est poena, quâ homini baptizato,
delinquenti, per Potentiam Ecclesiasticam
ausertur in foro exteriori participatio bonorum
spiritualium, in salutem animæ.

Explicatur definitio. 1º. Dicitur *p[ro]na*,
quia censura est actus jurisdictionis Ecclesiasti-
cæ; omnis autem jurisdictionis importat poenam

coercitatem improbos ; quia iurisdictio nullius videretur esse momenti , si coercionem aliquam non haberet. cap. *Pastoralis* , extra de Officio de Legati. 2º. Dicitur , quā homini baptizato , quia soli baptizati subjiciuntur Ecclesiæ authoritatī. *Quid enim mihi* , inquit D. Paulus , *de iis* , qui foris sunt , *judicare* 1a. ad cor. 5. cap. 3º. Dicitur , *delinquenti* , quia censura non infligitur innocentis ; quia *Anathema æternæ est mortis damnatio* , & non nisi pro mortali debet imponi criminis , illi , qui aliter non potuerit corrigi. Concilium Meldense , Canone 56. 4º. Dicitur per potentiam Ecclesiasticam ; quia sola authoritate Ecclesiæ potest ferri censura ; cum solis Ecclesiæ Pastoribus dictum sit. *Quaecumque alligaveritis super terram* , erunt ligata & in cælo. 5º. Dicitur assertur in foro exteriori ; sententiæ enim , quibus peccata in foro interiori puniuntur , ut cum Pœnitentes à communione sacrâ removentur , censuræ non sunt ; cum vim exterius compellendi non habeant. 6º. Dicitur , *Participatio bonorum spiritualium* : sententiæ enim , quibus pœnæ aliae , v. g. corporales , vel pecuniariæ inferuntur , censuræ non sunt ; censuræ privant certis spiritualibus bonis Ecclesiæ dispensationi concreditis , sive quoad jus , ut excommunicatio , quæ privat jure bonorum fidelibus communione ; sive quoad usum tantum , ut in suspensione , & interdicto continet. Dixi certis bonis Ecclesiæ dispensationi concreditis , quia censura non privat , neque virtutibus infusis , neque eorum actibus : quæ singula non subjacent dispensationi Ecclesiæ. 7º. Sed non additur , ut à contumaciâ dis-

132 MORALIS CHRISTIANA
cedatur; quandoque enim suspenditur, vel
interdicitur is, qui contumax non est, ad
terrorem aliis incutiendum; nemo tamen de-
claratur excommunicatus, nisi ob contumaciam.
8°. Adjungitur, *in salutem animæ*, quia
potestas Ecclesiæ est in ædificationem, & non
in destructionem.

§. II.

Quotuplex Censura.

Nomine Censuræ intelligitur excommunica-
tio, suspensio, & interdictum. Innoc. 3,
cap. Quærenti de verborum significatione.

Excommunicatio alia est major, alia minor.
Excommunicatio major est censura, quâ
Christianus, Ecclesiæ matri rebellis, non
solum segregatur à participatione Sacramen-
torum, sed etiam jure bonorum, toti Cot-
pori Ecclesiæ communium, & proindè fide-
lium societate privatur. Ità Gregorius nonus,
cap. si quem, extrâ, de sententiâ Excommu-
nicationis. Christianus enim contumax con-
trâ Ecclesiam frui non debet bonis spirituali-
bus Ecclesiæ, nec cùm fidelibus commercium
habere. Abscindantur, qui vos conturbant, in-
quit D. Paulus. Sed de his uberiori sumus di-
cturi, ubi agemus de Excommunicatione in
particulari.

Excommunicatio minor est censura, quâ
homo baptizatus receptione Sacramentorum,
& electione passivâ ad beneficium, vel digni-
tatem Ecclesiasticam privatur. Gregorius 9.

cap.

cap. Si quem, extrā, defent. Excommunicatio-nis.

Suspensio est Censura Ecclesiastica, quā Clerico, in gravis delicti pœnam, prohibetur exercitium vel jurisdictionis, vel ordinis, vel Officii, vel Beneficii, vel in totum, vel in partem, vel ad tempus, vel in perpetuum.

Suspensio alia est à jurisdictione, alia ab Officio, alia ab Officio tantum, alia tantum à Beneficio, alia ab Officio & beneficio, alia ad tempus, alia in perpetuum. Suspensio jurisdictionis est ea, quā quis suspenditur à jurisdictione quam habet: talis est suspensio, quā Episcopus, Parochus suspenduntur à jurisdictione, quam habent suptā oves suas. Suspensio ab officio tantum & ordine est ea, quā persona Ecclesiastica privatur exercitii sui ordinis, v. g. Sacerdos ab Officio Sacerdotali. Suspensio à beneficio tantum est ea, quā quis suspenditur à Privilegiis beneficii; talis est suspensio, quā Canonicus suspendi-tur ab honoribus & fructibus, concomitantibus canonicatum. Suspensio totalis est ea, quā quis suspenditur ab omni potestate Ecclesiasticā. Suspensio partialis est ea, quā quis suspenditur à parte potestatis Ecclesiasti-cæ. Suspensio ad perpetuum, est ea, quæ du-rat toto tempore vitæ. Suspensio ad tempus, est ea quæ certo tempore finiet. Interdictum Ecclesiasticum est Censura Ecclesiastica, quā certis personis, certisque locis interdic-titur Divinorum Officiorum celebratio, sepultura Ecclesiastica, & Publica Sacramentorum ad-ministratio, quæ ad morientium & nascentium salutem necessaria non sunt. Dicitur Sepulta-

134 MORALIS CHRISTIANA:
ra solemnis, & Publica Officiorum celebratio;
Quia tempore interdicti hæc omnia pia offi-
cia, in quibusdam rerum circumstantiis priva-
tim exerceeri possunt. Dicitur Sacramentorum,
quæ necessaria non sunt ad salutem vel nascen-
tium, vel morientium. Quia tempore interdicti
baptisari possunt parvuli, & adulti morituri
Sacramentum Pœnitentiae, & viaticum reci-
pere possunt.

Interdictum, aliud est locale, aliud Per-
sonale. Interdictum locale est illud, quod
directè fertur in loca, & quo, v. g. aliqua ci-
vitas interdicto subjicitur, cap. *si civitas*,
de sent. excomm. in 6°. Interdictum perso-
nale est illud, quod directè fertur in perso-
nas: tale est interdictum, quo aliqua gens
interdicto subjicitur, cap. *cum in partibus*,
extrà, de verborum significatione. Interdi-
ctum tamen locale, quam personale, aliud est
generale, aliud est speciale. Interdictum ge-
nerale locale, est cum tota aliqua regio in-
terdicto subjicitur. Interdictum speciale lo-
cale est, cum aliqua urbs aut villa, aut
Ecclesia Interdicto subjiciuntur. Interdictum
generale personale est, cum plebs aliqua in-
terdicto subjicitur. Interdictum speciale per-
sonale est, cum aliquæ personæ specialiter
subjiciuntur interdicto.

§. III.

Varia Divisio Censurarum.

Censura alia est ab homine, alia à canone.
Censura ab homine est ea, quæ à superioribus

fertur, cùm circumstantiis particularibus temporis, loci, actionis, vel personæ, ità ut extrà has circumstantias locum non habeat. Et proindè infligitur non intentione condendi legem generalem, sed animo imponendi præceptum temporaneum & transitorium. Censura à canone est ea, quæ in Decretis Conciliorum, vel in Jure Canonico scripta est, vel tanquam lex fertur à superioribus. Ea generaliter omnes ferit, qui in peccatum jure prohibitum ceciderint, quamdiu jus, vel lex viget, & quamdiu non est abrogata lege, vel usu contrario. Censura ab homine non viget, mortuo, vel amoto judice. Censura ab homine non potest tolli, nisi consentientē judice. Censura à Canone potest tolli sine consensu judicis. Censura alia est latæ sententiae, seu ipso factò incurrienda; alia est ferendæ sententiae, seu comminatoria. Censura latæ sententiae, seu ipso facto incurrienda est ea, quæ solâ inobedientiâ incurritur. Censura comminatoria est ea, quæ non incurritur solo delicto, sed delicto & declaratione judicis. Censura latæ sententiae exprimitur per verba de præsenti, vel de præterito; v. g. si quis hoc fecerit ipso jure, vel ipso facto, statim, illicet, sine morâ, sententiâ, nullâ aliâ declaratione requisitâ excommunicatus existat, excommunicatus est declaratus, vel excommunicato, suspendimus, interdicimus, vel sit anathema, vel sit excommunicatus, sit suspensus, sit interdictus. Censura comminatoria exprimitur per verba de futuro; v. g. si quis hoc fecerit, excommunicabitur, declarabitur excommunicatus, suspendetur, arcebitur ab ingressu,

238 MORALIS CHRISTIANA.
su Ecclesiæ; vel cùm fertur hoc modo sub
poenâ excommunicationis, suspensionis, in
terdicti. Si autem dubium sit, an verba expri
mentia censuram supponant vel pro pæsenti,
vel pro futuro; Censura erit comminatoria
juxta regulam iuris. *Odia sunt restringenda,*
favores conuenit ampliare.

§. IV.

De causis Censurarum.

Quatuor possunt considerari. 1°. Persona
ferens censuram. 2°. Persona contrà quam
fertur censura. 3°. Modus, secundùm quem
fertur censura. 4°. Delictum, propter quod
fertur censura, seu ut loquuntur Scholastici:
in censuris cognoscendis quatuor possunt
considerari, causa formalis, causa materialis,
causa efficiens & finalis.

Causa formalis est modus, secundùm quem
exprimitur censura, per quem fit ut censura
denominetur, vel *latæ sententiae*, vel *feren
tiae*. Sic ista censura, ipso facto excommu
nicabitur, est censura *latæ sententiae*; ista ve
ro excommunicatus declarabitur, est censura
comminatoria.

Causa materialis censuræ est subjectum,
quod afficitur censurâ; sic homo excommuni
catus est causa materialis excommunicationis;
sic Clericus suspensus est causa materialis sus
pensionis. Sic regnum interdictum, Universi
tas, Ecclesia subjecta interdicto sunt causa ma
terialis interdicti.

Causa efficiens censuræ est superior infli

gens censuram , exercendo jurisdictionem contentiosam, v. g. Concilium , Papa , Episcopus relativè ad suos fideles , Abbas relativè ad suos Monachos.

Causa finalis censuræ est salus fidelium ; propter enim salutem eorum & emendationem infliguntur censuræ.

consectaria ex prædictis notionibus illata.

C O N S E C T A R I U M I. Incarceratio , exilium , servitus , flagellatio , Privatio beneficii , & poenæ corporales infictæ per judicem Ecclesiasticum , non sunt censuræ ; quia non sunt poenæ spirituales. Non enim hæc est potestas , quam dedit Christus Sacerdotibus , qui Discipulos suos virgas habere noluit.

C O N S E C T A R I U M II. Depositio & degradatio non sunt censuræ , quia non sunt poenæ medicinales ; cum infligantur ob peccatum præteritum & aliquandò emendatum.

C O N S E C T A R I U M III. Cessatio à divinis non est censura , quia non infligitur per modum Medicinæ , sed quasi per modum defensionis ad propulsandam injuriam , illatam Ecclesiæ.

C O N S E C T A R I U M IV. Irregularitas non est censura , quia est inhabilitas Canonica.

C O N S E C T A R I U M V. Punitio[n]es , quas Ecclesia exerce[t] contrà non Baptizatos , non sunt censuræ , quia illi non sunt subditi Ecclesiæ.

CAPUT III.

De causis dispensantibus à Censuris, seu de
iis, quæ reddit Censuras nullas
& irritas.

CEnsura potest esse nulla ex multiplici ca-
pite. 1°. Ex defectu delicti in personâ, quæ subjicitur censuæ. 2°. Ex defectu subje-
ctionis, vel ætatis in eâdem personâ, contra
quam fertur Censura. 3°. Ex defectu jurisdi-
ctionis in personâ, quæ infligit Censuras. 4°.
Ex defectu formæ, secundum quam fertur
Censura. 5°. Ex defectu motivi, secundum
quod fertur Censura. Illa omnia percurremus &
regulas aliquas subjiciemus.

ARTICULUS I.

De Delicto contra quod potest ferri Censura.

PROPOSITIO I. Censura non potest
ferri nisi propter aliquod delictum, cum
sit poena; ubi enim nulla intercedit culpa, ibi
nulla intervenit poena, & ideo censura lata
contra innocentem est nulla.

Probatur 1°. Scripturâ. Quandò Christus
redit Apostolis, & in illorum personâ Prælatis
potestatem infligendi censuras, dicendo.
*Quicumque alligaveritis super terram, erunt
ligata & in Cœlo: & quicumque solveritis su-
per terram erunt soluta & in Cœlo.* Math.
cap. 18, v. 18. Priùs dixerat, *Si peccaverit in te*

frater tuus v. 15. Si Ecclesiam non audierit. Quod indicat, censuram non posse ferri nisi propter peccatum.

2°. Censura est poena medicinalis. Ergo supponit morbum peccati; quia omnis Medicina supponit morbum.

Consecaria hujus Doctrinae:

C O N S E C T A R I U M I. Nullus Christianus potest nominatim & personaliter excommunicari, nisi revera sit reus proprio & personali crimen: quia excommunicatio est censura afficiens hominem reum in particulari. cap. *Sacra, extra, de sentent. excommunicationis.*

C O N S E C T A R I U M I I. Nulla communitas v. g. Collegium, civitas, capitulum, si tota communitas sit innocens, potest suspensi-
di; cuia suspensio est censura, & censura, ut
potè pœna, supponit culpam; ut autem com-
munitas sit rea, non est necesse ut singuli com-
munitatis rei sint; sed sufficit ut aliqui sint
rei; quia crimen primatum in universam so-
dalitatem refunditur. cap. *si sententia de sent. excomm. in sexto.*

C O N S E C T A R I U M III. Nulla singula-
ris persona potest speciali suspensione sus-
pendi, nisi sit rea proprio & personali crimi-
ne; quia specialis pœna supponit speciale cri-
men.

C O N S E C T A R I U M IV. Nulla commu-
nitas potest subjici interdicto, nisi commu-
nitas sit rea vel in singulis, vel in aliquibus;
quia interdictum est censura, suppo-

CONSECTARIUM V. Nulla singularis
persona potest subjici singulari interdicto, nisi
sit rea particularis criminis; quia specialis pre-
na speciale culpam presupponit. Id Colli-
gitur e capite superius memorato.

PROPOSITIO II. Censura lata prop-
ter peccatum internum, sola mente, & vo-
luntate consummatum est nulla.

Probatur. 1º. Scripturā. *Homo videt ea que*
parent, Dominus autem intuetur cor. 1. Reg.
cap. 16. Ergo forum Ecclesiasticum, utpote
ab hominibus directum, non judicat interna,
sed externa solum crima.

2º. Ex Aug. serm. 351. ubi sic habetur. *Tu*
quis es, qui judicas alienum servum, suo Do-
mino stat, aut cadit. Noluit enim hominem ab
homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam
extraordinario usurpato judicio, sed positus ex
lege Dei secundum ordinem Ecclesiae sive UNO
ME CONFESSUM sive ACCUSATUM AT-
QUE CONVICTUM. Alioquin illud cur
dixit, si quis frater nominatur, nominari enim
juxta phrasim Scripturæ, id est publicè talis
haberi. Ergo Censura Ecclesiastica ferri ne-
quit contra peccatum internum. Et in cap.
Proposuit de Appellatione illud habetur axio-
ma. *Non habent latencia peccata vindictam,*
Demum Origenes hanc regulam generalem
statuit. *Ubi, inquit, peccatum non est evidens*
ejicere ab Ecclesia neminem possumus, ne forie er-
adicantes zizania, eradicemus triticum. Origen.
Homili. 20. in Josue.

3º. Ratione. Omne Tribunal contentiosum;

Etiam Ecclesiasticum potest solum judicare de manifestis. Extrà , cap. *Sua nos* , de Simonia : Ergo forum Ecclesiasticum non potest innodare Censuris Christianum , qui admisit tantum peccatum internum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quando in jure Censuris afficiuntur credentes talem errorem , aut non credentes talem veritatem , illud debet intelligi non de infidelitate merè internâ , sed de infidelitate , vel verbis , vel factis exteriorius manifestata . cap. *Excommunicamus* extrà de hæreticis .

C O N S E C T A R I U M I I. Licet aliquis velit exteriorum actum committere , cui annexa est Censura ; si tamen illum actum sola voluntate adimpleat , & proinde non ad exteriorum eum perducat , non innodatur Censurâ .

Sic peccat graviter ille , qui vult percutere Clericum , qui vult simoniam committere , hæresim manifestare ; si tamèm illud , non perficiat exteriorius , non incurrit Censuram ; quia peccatum non est externum , sed internum . Ità sentit D. Thomas I. 2. q. 91. art. 4.

P R O P O S I T I O I I I. Gravis Censura , exempli gratiâ , excommunicatio major , non potest ferri propter peccatum externum , quod non est ex suo genere mortale : & proinde si feratur propter peccatum , quod ex se veniale est ; Censura est nulla ; si tamen peccatum secundum se esset mortale , sed veniale per-

142 MORALIS CHRISTIANA
accidens, possit prohiberi sub poena Cen-
suræ.

Probarur. 1º. Scripturâ. Illud videtur in-
finuari in Corinthio incestuoso, cuius peccatum
erat haud dubiè non veniale, sed mortale.

2º. Ex jure Canonico. Nullus Sacerdotum
quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & le-
vibus causis à communione suspendat. Canone,
Nullus, causâ 11. q. 3.

3º. Ratione D. Tho. qui sic loquitur
in 4. sent. dist. 18. q. 11. articulo 1º. Quæ-
stiuncula. 3. Per excommunicationem Index
Ecclesiasticus excommunicatos excludit à regno
quodam modo: unde cum non debeat excludere
nisi indignos; nec aliquis reddatur indignus
nisi per peccatum mortale amiserit charitatem;
~~et de nullus potest excommunicari nisi pro pecca-~~
~~tio mortalit.~~

Nota tamen quod excommunicatio minor
potest incurri per peccatum veniale; nam
incurritur per communicationem in civili-
bus cum excommunicato denunciato, vel
notorio Clerici percussore. cap Nuper, ex-
tra de sententiâ excomm. Hæc autem com-
municatio propter levitatem materiæ videtur
esse peccatum tantum veniale.

Consilia hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Censura lata pro-
pter peccata venialia est nulla; quia Censu-
ra supponit peccatum mortale.

Sic Censura lata contra actus indelibera-
tos est nulla; quia actus indeliberti non
possunt esse peccata mortalia.

Sic Censura lata contrà actus , vitiosos mortaliter , sed venialiter culpabiles , ob materiæ levitatem , est nulla.

Censura tamen lata propter peccatum veniale , inferens proximo , vel toti Reipublicæ notabile detrimentum , est valida ; quia , licet actus singulariter spectatus videatur venialis culpa , collectivè tamè ratione damni Reipublicæ emergentis , est mortale.

Sic Censura lata in graffatores vinearum , in venatores , est valida : licet quilibet ex illis graffatotibus , aut venatoribus in particula- ri non peccaret nisi venialiter. Ità Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2.

PROPOSITIO. IV Censura , lata propter peccatum , non incurritur , nisi peccatum fuerit ultimò completum.

Probatur. 1º. Scripturā. Id judicare viderut in Corinthio incestuoso ; quippe D. Paulus non privavit illum consortio fidelium ; nisi ubi notum habuit , eum scandaloscè cum uxore patris sui conversari.

2º. Ex Jure Canonico . cap. Perpetuo , de electione in 6º. dicitur enim ibi , quod suffragans pro indigno , non privatur jure suffragandi , si indigus non fuerit de facto electus ; quod indicat poenam ab Ecclesiâ constitutam non incurri nisi actu completo.

3º. Ratione. Censura est poena odiosa . ergo restringenda est ad terminos , ad quos fuit applicata. Ergò non censetur incurri , nisi peccatum , contra quod lata est , fuerit complectum.

Concordaria hujus Doctrine.

CONSECTARIUM I. Ille non inno-
datur excommunicatione, qui projicit lapi-
dem in Clericum, si Clericus non fuerit per-
cussus; quia in canone, *si quis suadens
Diabolo &c.* Censura exprimitur sub verbis in-
cludentibus percussionem.

CONSECTARIUM I I. Mandans per-
cussionem Clerici non incidit in excommuni-
cationem, si Clericus non percutiatur.

CONSECTARIUM III. Simioniaci con-
ventionales non ligantur excommunicatione,
si conventio ex neutrâ parte executioni man-
detur, benè tamèn si ex alterâ, juxta com-
muniorem sententiam: quia tunc est sufficien-
ter completa.

PROPOSITIO V. Excommunicatio
data propter peccatum externum & mortale ex
suo genere est nulla, nisi intervenerit contu-
macia in eo, qui excommunicatur.

Probatur 1º. Scripturâ. *Si Ecclesiam non au-
dierit, inquit Christus, sit tibi sicut Ethnicus,
& Publicanus.* Mathæi. 18. ergo si peccatos
Ecclesiam audierit, & contra ejus legem non
sit contumax; Ecclesia non debet illum ana-
thematis mucrone ferire.

2º. Ex Chrysost. in caput 13. prioris Epist. ad
Corint. ubi sic habet. *Neque enim Paulus de his
qui peccabant statim pœnas sumpsit, sed semel,
atque iterum admonuit, & ne sic quidem in con-
sumaces animadvergit, sed rursus admonuit at-
denuntiat, dicens: Ecce tertio venio ad vos.* Ergo
nullum peccatum quantumvis enorme est
excommunicatione.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS 145
excommunicatione dignum, nisi interveniat
contumacia.

3°. Ex Lateranensi Concilio sub Alexan-
dro. 3. patt. 1. cap. 6. ubi determinatur quod
in omni sententiā excommunicationis, aut
suspensionis ferendā, prima, secunda, & ter-
tia admonitio sit præmitteenda. aut una pe-
remptoria tribus æquivalens. Ergo peccator
non est excommunicatione innodandus, nisi
prius pateat spretis monitionibus esse contu-
macem.

3°. Ratione. Excommunicatio est pœna
Medicinalis. Ergo non est vindicativa. Ergo
cum pœna vindicativa applicetur indifferen-
ter & Reo penitenti & Reo contumaci, pœ-
na medicinalis, qualis est excommunicatio,
debet applicari soli peccatori contumaci. Ita
D. Thom. sentit. in 4. dist. 18. q. 11. art. 1.
questiuncula 3.

4°. Excommunicatio est pœnarum gravissi-
ma: ergo non debet infligi nisi pro peccato,
cui contumaciter Rei adhærent

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Censura non
potest infligi pro peccato præterito, si reus pa-
ratus sit pro peccato satisfacere; quia tunc non
est contumax.

Censura tamen potest infligi pro peccato
præterito, si Reus nolit ad meliorem frugem
se recipere, vel reparare scandalum, vel para-
ti lœse satisfacere. Canone, quidam, causâ
3. quest. 1.

CONSECTARIUM II. Scriptor famos
Tome V.

N

Libelli non potest affici Censuris, si iussus
prælato se manifestet; quia tunc non est con-
tumax.

Potest tamen affici Censuris, si nolit su-
bito pænam impositam à Prælato; quia tunc
est contumax.

C O N S E C T A R I U M III. Qui est reus
apparenter, & tamen intrinsecè est innocens,
non potest ligari Censuris; quia in illo, ut
supponitur, non est contumacia. Ideò si quis
innodetur Censuris, eò quod non solvat de-
bita, quæ non potest solvere; ex eo quod
non reddat, quæ non tenetur reddere; eò
quod non testetur contrà illos, contra quos
non tenetur testari, Censura non valet.

P R O P O S I T I O VI. Ignorantia tūm
juris, tūm facti, modò non sit crassa & affec-
tata, excusat à Censuris. Illud idem præstat
metus, cadens in constantem virum: & ita si
quis vel ex ignorantia inculpabili, vel ex
metu fecerit aliquid, cui Censura est annexa,
non potest illâ Censurâ innodari.

Probatur. 1. Scripturâ. Illud insinuat Scipi-
tura Mathæi 18. Ubi loquens de correctione
fraternâ docet, quod antequam peccatorem à
fidelium confortio segreges. 1°. Debes illum
inter te, & ipsum solum præmonere. 2°. Co-
ram duobus testibus. 3°. Denuntiare Eccle-
siae: quæ omnia denotant peccatum, contra
quod debent ferri Censuræ, esse Peccatum
commisum non ignorantia, sed scienter,
non ex metu, sed ex deliberatione.

2°. Ratione. Anathema est æternæ mortis
damnatio, & non nisi pro mortali debet im-
poni crimine, & illi, qui aliter non potue-

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS. 147
rit emendari: quod dici non potest de eo,
qui ignoranter, & ex metu gravi peccat.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Si quis ex ignorantia inculpabili juris violet legem, cui annexa est Censura; non incidit in Censuram; quia ignorantia inculpabilis excusat a Censurâ.

Et ita si quis inculpabiliter ignoret, percussione Clericorum annexam esse Censuram, percutiens Clericum, peccabit quidem: quia lege naturali didicisse potest, non licere percutere proximum; sed non incidit in Censuram. Cap. *ut animarum*, de constitutionibus in sexto.

CONSECT. II. Si quis ex ignorantia inculpabili facti violet legem, cui annexa est Censura, non incurrit Censuram: quia ignorantia in culpabilis facti excusat à Censurâ.

Et ita si quis sciens percussione Clericorum annexam esse Censuram, Titum Clericum percutiat, ignorans inculpabilitèt an sit Clericus, peccabit quidem: quia contrà legem nature percudit proximum, sed non incurrit censuram. Ita cap. *Si vero*, de sent. excommunicationis.

CONSECT. III. Si quis ex ignorantia inculpabili vel juris, vel facti eliciat actum, cui annexa est irregularitas ex delicto, non incurrit irregularitatem; quia irregularitas ex delicto, ut potè pœna, sortitur vices Censuræ, & debet contrahi eo modo, quo Censura.

CONSECTAR. IV. Si quis ex ignorantia

N i j

548 MORALIS CHRISTIANA.
crassā , vel affectatā tūm juris , tūm factis ,
violet legem , cuius violationi annexa est
Censura , vel irregularitas ex delicto , inci-
dit in Censuram & in irregularitatem , quia
ignorantia crassā vel affectata non excusat à
Censurā . cap. ut animarum , de constitutioni-
bus in 6.

CONSECT. V. Si quis ignorantia con-
comitanti violet legem , cuius violationi an-
nexa est Censura , vel irregularitas , incidit
in Censuram , & in irregularitatem : quia ig-
norantia concomitans non excusat à peccato ,
nec à Censurā , nec ab irregularitate ; indē
sit ut , Si quis vibret sagittam in suum ini-
micum , quem putabat esse feram , tām vehe-
menter expetens occidere inimicum , quām in-
tendit interficere ferari hic , incurrat irregulari-
tatem , & Censuram , si occisioni hominis an-
nexa sit Censura . Ita videtur docere D. Th.
1ā. 2a. q 76. articulo 3. Id expressè docet Co-
varruvias p. 1.c. 10.num. 15. quia actio cui ances-
titur Censura completa est & consummata .

ARTICULUS II.

*De conditionibus requisitis Ex parte subjecti ,
ut possit innodari censuris.*

PROPOSITIO unica. Ut quis possit
validē ligari Censuris , quatuor requi-
runtur conditiones , 1a. ut sit homo . 2a. ut sit
viator . 3a. Ut sit compos mentis & annos
pubertatis attigerit . 4a. ut sit baptisatus .

Propbatur 1º. Scripturā. Textus sacer in-
dicat aperte omnes illas conditiones requiri

videmus enim illas omnes reperi in Corin-
thio incestuoso , quem Divus Paulus excom-
municavit.

2° Canones requirunt omnes illas condi-
tiones.

3°. Ratio pariter evincit illas conditiones
requiri.

1°. Debet esse homo , non autem irratio-
nabile quidquam : quia esset incapax bono-
rum Ecclesiæ spiritualium , & proinde non
posset privari bonis spiritualibus Ecclesiæ ,
quibus Censuræ privant Christianos.

2°. Debet esse homo viator : quia homo
existens in termino , ut potè confirmatus vell
in bono , si sit beatus , vel in malo , si sit
damnatus , non est capax liberæ contumaciæ ,
nec liberæ resipiscientiæ.

3°. Debet esse puber & complète ratio-
nis compos : alioquin censetur incapax ple-
nae contumaciæ & resipiscientiæ perfectæ.

5°. Debet esse baptisatus : alioquin esset
incapax percipiendi bona spiritualia Ecclesiæ ,
nec Ecclesia judicium exercere potest nisi in
eos , qui ei per baptismum se submiserunt.
Itaque Catechumeni excommunicari non pos-
sunt , multò minus Turcæ. cap. Postulasti de
Judaïs.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Irrationabilia Cen-
suri affici nequeunt : quia solus homo potest
illis ligari ; & sic anathema latum contrà Je-
richo. Josuë cap. 6. & 7. Non erat vera Cen-
sura , sed maledictio , vel detestatio.

CONSEC. II. Anima separata à corpore,

150 MORALIS CHRISTIANA:
sive sit in Cœlo, sive in tartaro, sive in Purgatorio, non potest in nodari Censuris; quia iurisdictio Ecclesiastica respicit eos, qui sunt super terram. Juxta illud. *Quodcumque ligaveris si per terram, &c.*

CONSECT. III. Homo post mortem non potest ligari Censuris; quia non est viator, sed tantum declarari potest cum incurrisse Censuras, dum viveret.

Sic hæretici post mortem declarantur excommunicati. *Canone Sane.* causâ 24. q. 2.

Sic instituens hæreticum hæredem declaratur excommunicatus. cap. *Si quis Episcopus, extra de hæreticis.*

Sic occidens seipsum, declaratur excommunicatus. *Canone, Placuit,* causâ 23. q. 5.

CONSECT. IV. Impuberes antè adulatam ætatem, id est, antè annum duodecimum in fæminis, & decimum quartum in masculis, non solent ligari Censuris; quia non Censentur contumaces; Nisi malitia præveniat ætatem. cap. 1. & ultimo de Sententiâ excommunicationis, ubi dicitur, quod. *Si Clerici infra puberes annos, se ad invicem, aut unius alterum percusserint, non sunt ad Apostolicam sedem mittendi.* Quia eos ætas excusat, inquit Hostiensis relatus ad Glossæ marginem, non à peccato, sed ab excommunicatione. Imò juxta Rituale Parisiense nupèr editum, nullus casus reservatur, quando à pueris, aut puellis committitur ante annos pubertatis. Ergo à fortiori nulla Censura ab illis incurritur. An autem verum sit quod nullus sit casus reservatus erga pueros impuberes, dicitur ubi de casibus reservatis.

ARTICULUS III.

*De his quæ reddunt censuras nullas & irritas,
defectu auctoritatis, in eo, qui eas at-
tentat infligere.*

PROPOSITIO Unica. Solus superior Ecclesiasticus habens jurisdictionem contentiosam, potest ferre Censuras. Si alius infligat, Censuræ sunt nullæ.

Probatur Scripturâ. Illud indicatur Matthæi 18. cap. Ubi Christus solis Apostolis, eorumque successoribus dicit. *Quæcumque al- ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Ergò solis Ecclesiæ Prælatis jurisdictionem contentiosam exercentibus, concessa est potestas ferendi Censuras; illud etiam perspectum habemus in corinthio incestuoso, qui à D. Paulo, & non à simplici fideli excommunicatus est.

2. Ex Jure Cano. *Sententia Pastoris*, & non alterius timenda dicitur. Canone *Senten- tia pastoris*. Causâ 21. q. 5. Ergo ad Pastorem, & non ad alium spectat facultas ferendi Censuras..

3. Ratione. Censura, ut pote pæna Ecclesiastica, non debet infligi à judice Laico, sed Ecclesiastico; quatenus exterior, debet ferri à judice obtinente jurisdictionem, non interiorem, qualem habet Confessarius, sed exteriorem & contentiosam, qualem habet Prælatus.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. *De his qui possunt censuras infligere.* Hi qui hic subjiciuntur, possunt validè, & licitè Censuras infligere.

- 1° Romanus Pontifex in universâ Ecclesiâ; quia est iudex omnium fidelium. Ut docet Canon. *Cuncta per mundum causâ g. q. 3.*
- 2°. Ecclesia in Concilio oecumenico Congregata in omnes Christi fideles potest ferre Censuras. Ut dicit Concilium constantiense; quia de illâ dixit Christus. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Unde Augustinus tract. 5°. in Joan ait. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in Cœlis.* Si hoc tantum Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesiâ fit..... Petrus quando claves accepit, Ecclesiam significavit. Ergo si Papa significans Ecclesiam possit infligere Censuras, id à fortiori poterit Ecclesia.
- 3°. Cardinales in suis titulis quia sunt Prælati illarum Ecclesiastum. Ut dicitur extra cap. *bis*, *que pro Ecclesiâ*, de Majoritate, & obedientiâ.
- 4°. Episcopi, Archiepiscopi, & Primates in suis Ecclesiis; quia sunt judices in suis Diœcesibus. Ut dicitur extra, cap. *Perniciosem*, de officio ordinarii.
- 5°. Vicarii Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primatum; quia idem est Tribunal Episcopi & Vicarii; ut legitur. cap. *Romana*, de appellatione in sexto.
6. Concilium Provinciale in totâ Metropoli, Diœcesanu in universâ Diœcesi. Ut habetur extra, cap. *grave-*

nimis, de Præbendis. 7. Vicarii Capituli sede vacante; quia habent authoritatem Episcopalem; ut innuit Tridentinum, sess. 24. De reformatione, cap. 16. 8. Superiores Religionum approbatarum à sede Apostolicâ; quia habent authoritatem contentiosam in suos Religiosos. Ut dicitur extra, cap. *cum in Ecclesiis*, de Majoritate & obedientiâ.

C O N S E C T A R I U M II. *De his, qui numquam possunt censuras infligere.* Hi, qui hic subjiciuntur, nec validè, nec licetè possunt Censuras infligere. 1^o. Fœmina nunquam potest ferre Censuras; quia non habet jurisdictionem contentiosam; ut habetur, extra, cap. Dilecta filia de Majoritate & obedientiâ. 2^o. Laïci non possunt ferre Censuram; quia non obtinent jurisdictionem Ecclesiasticam; ut dicitur **Canone**, *Bene quidem*, distinctione. 3^o. Archidiaconi non possunt ferre Censuras, cap. *Archidiacono*, extra de Officio Archidiaconi. 4. Simplex Sacerdos, aut Parochus non possunt, ferre Censuras. Quia Jurisdictionem contentiosam non obtinent: unde illa consuetudo, quâ Parochi olim excommunicabant, pro rebus substratis vel perditis est revocata à Concil. Trident. & determinatum est. *Ut à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo illæ excommunicationes decernentur.* sess. 25. cap. 3. de reform.

C O N S E C T A R I U M III. *De his, qui, licet possint censuras infligere, invalidè tamè ob aliquas cirmstantias infligunt.* Quæ hic subjiciuntur Censuræ, sunt invalidæ. 1^o. Censura lata in seipsum, vel in æqualem, vel in superiorem, est nulla. Ita D. Tho. in 4. sent.

254 MORALIS CHRISTIANA.
dist. 18. q. 11. art. 3. Quæstiunculâ primâ ;
quia nemo habet iurisdictionem contra se ip-
sum , neque in æqualem neque in superiori;
2°. Censura lata à Prælato publicè suspen-
so , & excommunicato , est nulla ; quia suspen-
sio omnem jurisdictionem interdit. 3°. Cen-
sura , lata à delegato contrà intentionem de-
legantis. Est nulla , cap. *Cum olim* , extra , de
Præbendis: *Quia delegatus nihil potest , nisi*
dependenter à delegante. 4°. Censura lata
contrà non subditos , v. g. Censora Episcopi
contra Religiosos exemptos , est nulla , nisi
sint subditi , vel ex defectu , vel ex pacto , vel
ratione Beneficii. cap. *Quanto extra de Privi-*
legiis. Religiosi subduntur Episcopo ratione
delicti , si committant delictum , quod causet
scandalum , eique mederi nolint superiores
regnulares. Ita Trident. sess. 24. de regul.
cap. 14. Religiosi subduntur Episcopo ratione
Beneficii , quando habent Beneficium Paro-
chiale : tunc enim debent subesse Episcopo in
his , quæ spectant Parochiam , sicut & alii
Curati. Ita Greg. 15. Constitut. *inscrutabili.*
5°. Censura lata ab Episcopo extra suum ter-
ritorium est nulla , nisi expulsus à suâ Dio-
cesi , ageret contra expulsores. Clementinâ 1a.
de foto competenti. 6°. Censura lata ab Epis-
copo contrà suos subditos , in alienâ Dioce-
sibus delinquentes , si feratur per modum statuti ,
est nulla. Cap. *ut animarum* , de constitutio-
nibus , in sexto : Censura tamen ligat , si sub-
diti rem prohibitam admiserint in Dioce-
si , in quâ lata est Censura , vel si omiserint rem
in eâdem Dioce-
si , sub pœnâ Censuræ præ-
tandam ; quia tunc pertinent ad jurisdictionem

Episcopi ferentis Censuram ratione delicti : & sic Censura Lata ab Archiepiscopo Tolosano contra Clericos non residentes, ligat Clericos Tolosanos, in alienā Diœcēsi existentes ; quia omittunt residentiam, in Tolosanā Diœcēsi Præstandam : & ita Censura lata per modum Sententiarum ab Archiepiscopo Tolosano contrā fures , qui in territorio Tolosano furtum commiserunt, ligat eos ; licet alio se receperint : ut educitur ex cap. licet , extra , de foro competenti. 7º. Censura lata à Metropolitano in subditos Suffraganeorum extrā casum appellationis , est nulla. 8. Censura , quam iudex in propriā causā tulerit in vindictam propriæ rei , est nulla ; quia nemo est iudex in propriæ rei, causā. *Canone inter querelas*, causā 23. q. 4. Si tamen Prælatus ferret talē Censuram, ut se redimeret ab injustā vexatione , valeret Censura ; quia vim vi repellere licet. cap. *dictio de Sententiā excommunicationis* in 6º.

ARTICULUS IV.

De his, quæ reddunt Censuras irritas defectu formæ, quam decet observari in ferendis Censuris.

PROPOSITIO I. Ut Censura Latæ Sententiae Sit valida , & in foro contentioso incurritur, tot requiruntur conditiones , quot requiruntur ad valorem Sententiae iudicè prolatæ.

Probatur I. Exemplo Corinthii incestuosī , in cuius condemnatione Paulus videtur observasse præcipuas conditiones , quæ solent observari in ferendis sententiis. Nam cum

præmonuerat his verbis. Ne misceamini cum fornicariis; & dum illum damnat, videtur pro tribunali sedere. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est.

2º. Ex jure Can. Quæ contra jus fiunt, debent pro infestis baleri. Regulæ 64. In 6. Ergo Censura latæ Sententiæ erit nulla, si non observentur omnes conditiones requisitæ ad ferendam Sententiam.

3º. Ratione. Censura latæ Sententiæ juridicè prolata habet formam Sententiæ contentiose. Ergo requirit, ut observentur omnes conditiones, quæ observantur in ferenda sententiâ.

Consectaria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Censura latæ Sententiæ non incurritur, si nulla præcedat monitio. cap. constitutionem in sexto de Sententiâ excommunicationis. Necessariæ est monitio, tum ut reus, à quo peccato abstinendum sit sciatur; tum ut purgare se possit, si per calumniam accusatus est; tum ne alii cum eo comunicent in crimen, nisi crimen esset adeò notorium, ut monitio nullatenus esset necessaria, vel nisi esset periculum in morâ, putâ si esset periculum, ne crimen dilatione excommunicationis cresceret.

C O N S E C T A R I U M II. Censura latæ Sententiæ, regulariter loquendo, non incurritur, nisi præcedat tria monitio, plurimum dierum intervallo discreta, vel una monitio peremptoria, æquivalens tribus. Canone omnes decimæ, causâ 16. q. 7. cap. 2. Contingit,

de Sent. excomm & Praelatus ferens juridicè Censuram , sine præviis admonitionibus interdictitur ipso facto ingressu Ecclesiæ cap. *Sacerdotio de sent. excommun.* id videtur indicare Paulus Scribens ad Titum cap. 3. *Hereticum, inquit, hominem post unam & secundam correctionem, devita.* Et in Concilio Ephesino Nestorius ter citatus est, antequam condemnatur.

C O N S E C T A R I U M III. Censura latæ Sententia non incurritur juridicè ab eo , qui, licet non citatus , Censuris afficitur. Extra , cap. *Inter quatuor* , de majoritate.

C O N S E C T A R I U M IV. Censura latæ Sententia non incurritur juridicè ab eo , cui non intimatur intra mensim. cap. *Medicinalis.* de sent. excommunicationis : debet enim exemplum Sententia authenticum & sigillo pubblico munitum parti exigenti intimari.

C O N S E C T A R I U M V. Censura latæ Sententia non incurritur juridicè , si non exprimatur causa legitima , ob quam lata est Censura. cap. *Citandum.*

C O N S E C T A R I U M VI. Censura latæ Sententia non incurritur juridicè , postquam legitima appellatio interposita est. Quia ex jure appellatio legitima devolvit litem ad superiorum. cap. *Præterea 2. extra* , de appellationibus.

Ut autem appellatio sit justa , & legitima , 1^o. Debet exprimere causam probabilem & sufficientem , si Sententia ferenda sit interlocutoria. Extra , cap. *Ut debitus* ; de appellationibus. 2^o. Debet fieri legitimo tempore , id est , intra decem dies , à die latæ Sententia

computandos. cap. Quoad consultationem, extra, de Sententiâ, & re judicatâ ; & juxta D. Bernardum lib. 2. de consid. cap 2. Appellationes admittendæ sunt non quas calliditas invenit, sed quas extorsit necessitas, quæ subveniant iuri, & non opitulentur iniquitati.

CONSECARIUM VII. Censura lata à judice, justè per reum recusato, non incurritur; quia ex jure recusatio legitima suspendit judicium, sicut & appellatio.

CONSECTARIUM VIII. Censura lata Sententiæ non incurritur juridicè, si contineat errorum, ut dicunt, intolerabilem. Canon. Si quis non recto ; & cap. per tuas, extra, de Sentent. excommunicationis. Sic Censura lata ob actionem, quæ judicetur non mala, sed indifferens ob actionem venialiter culpabilem, ob actionem moraliter culpabilem, olim commissam, sed emendatam; lata pariter contra innocentem & secundum rem & secundum testes, non incurritur juridicè; quia error est intolerabilis.

MONITUM. Advertendum tamen est, quod in memoratis singulis casibus, in quibus diximus Censuram sic juridicè prolatam non ligare exterius, ob defectum exterioris conditionis; si tamen Christianus coram Deo reus sit criminis, ob quod fertur Censura, debet se gerere, quasi esset Censuris innodatus, & absolutionem humiliter petere, si sit reus: si sit innocens, debet potius injuriam pati, quam scandalum causare: ne ut dicit Greg. *Eis iniustè ligatus est, ex ipsâ tumidâ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.* Can. non solùm II. q. 3.

PROPOSITIO II. Ut Censura ferendæ sententiæ, sed comminatoria, sit valida, eadem requiruntur conditiones, quæ requiruntur ad valorem legis; & ita Censura illa debet esse justa ex authore; id est, debet à legitimo superiori ferri. 2°. Debet esse justa ex objecto; id est, debet ferri, ut fugiat malum, & ut promoveatur bonum. 3°. Debet esse justa ex fine, hoc est, debet cedere in bonum Ecclesiæ. 4°. Debet esse culpa proportionata.

Probatur 1°. Scripturâ. Quatuor illas conditiones videtur Paulus insinuare his verbis. *Si quis, inquit, non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Nam 1°. Paulus legitimus erat superior. 2°. In epistolis nihil aliud intendebat, quam bonum fidelium. 3°. Non imponebat poenam severiorem, cum non nisi post inobedientiam pertinacem excommunicatione uteretur. 4°. Poenam illam in bonum Ecclesiæ volebat cedere, nimisrum ut utiliter confunderentur peccatores.

2°. Ex jure Canonico. dist. 4. can. 2. ubi sic habetur. *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem, in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate ci-vium conscripta.* Atqui Censura ferendæ sententiæ habet vim legis. Ergo debet habere predictas conditiones, quas Isidorus abscribit legi.

3°. Ratione. Censura ferendæ sententiæ est
O ij

160 MORALIS CHRISTIANA.
lex cum comminatione pœnæ ; atqui lex debet esse justa ex auctore , ex fine , ex objecto, ex modo ; ut diximus , ubi de lege . Ergo Censura ferendæ sententiæ debet esse justa ex auctore , ex objecto, ex fine, ex modo ; id est , debet 1°. Ferri à legitimo superiore . 2°. Debet imperare bonum , & prohibere malum . 3°. Debet cedere in bonum Ecclesiæ . 4°. Debet pœnas proportionatas peccatis destinare .

Consecataria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Illa omnia , quæ reddunt legem nullam , eadem reddunt Censuras comminatorias nullas : & ea , quæ reddunt legem injustam , eadem reddunt Censuras comminatorias injustas ; quia Censura comminatoria nihil est aliud , quam lex cum comminatione pœnæ . Vide quæ diximus de lege injustâ ; ut videoas , quæ Censuræ sint justæ , quæ injustæ .

C O N S E C T A R I U M I I. Quandò Censura est manifestè injusta , magis ligat superiorem , quam inferiorem . De quo ita Hieron . *Si quis , inquit , non recto iudicio eorum qui præsunt , ab Ecclesiâ depellatur , si ipse non ante exiit , nec ita egit , ut mereretur exire , nihil lreditur , & ita sit , ut interdum , qui foras mittitur , intus sit , & ille foris , qui videtur intus retineri . Can . Si quis non recto .*
24. q. 3.

CAPUT IV.

De Absolutione à censuris.

Absolutio à peccatis est actus jurisdictionis non contentiosæ; absolutio verò à Censuris est actus jurisdictionis contentiosæ; est autem forum externum seu contentiosum id, in quo negotium geritur, testibus & aliis judiciorum formulis; forum verò internum est illud, in quo nec testis, nec accusator, nec aliæ probationes adhibentur, sed sola pœnitentis confessio cum Sacerdotis judicis notitia requiritur.

ARTICULUS I.

De conditionibus requisitis in eo, qui absolvit à censuris.

PROPOSITIO I. Quatuor requiruntur conditiones in eo, qui absolvit à Censuris. 1º Debet esse Clericus. 2º Debet habere jurisdictionem contentiosam. 3º. Debet certâ scientiâ absolvere. 4º. Debet absolvere sponte & non coacte.

Probatur. 1º Scripturâ. Paulus, qui absolvit Corinthium incestuosum, quatuor prædictas habebat conditiones. Primo erat Clericus, & Clericus habens jurisdictionem, cùm esset Apostolus. Tertiò absolvit cum certâ cognitione delicti, & sponte & non coacte; ut colligi potest ex istis verbis 2. ad Corint. 2.

O iii

v. 10. *Qui autem aliquid donasti & ego : nam & ego quid donavi, si quid donavi ; propter vos in persona Christi.*

2°. Ex jure canonico. 1°. Requiritur quod qui absolvit à Censuris , sit Clericus , & habeat jurisdictionem : ut patet ex capite unico de majoritate & obedientia in 6°. Et requiritur insuper , quod absolutio fiat scienter & sponte. Ut patet ex capite unico , *de his quo ex vi metusve causâ sunt.* Ergo quatuor predictæ requiruntur in eo , qui absolvit à Censuris.

3°. Ratione. Absolutio à Censuris est actus jurisdictionis conteatiæ Ecclesiasticæ. Ergo non potest exerceri nisi à Clerico habente jurisdictionem , & volente eam scienter exercere : quia defectus potestatis reddit actus jurisdictionis invalidos , & defectus scientiae & libertatis nullos.

C O N S E C T A R I A.

A quo & quomodo impendi debeat absolutio à censuris , extra mortis articulum.

C O N S E C T A R I U M I. Absolutio à Censuris numquam potest impendi à Laïco ; quia injuriosum esset Ecclesiæ ejus jurisdictionem, ut potè spiritualem , exerceri à Laïco , qui nullam habet autoritatem spiritualem. cap. Decernimus de judiciis. Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. Sic loquitur. *Nefas sit seculari cuiilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico iudici , ne excommunicet ; aut mandare , ut latam excommunicationem revocet , sub praetextu , quod consenta in praesenti decreto non sint observata;*

cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Unde famosissimus Dominus de Thevenet Advocatus in Curiâ Parisiensi, titul. de jurisdict. Eccl. a. 5. Hæc habet. Parlamenta non possunt absolvere, aut facere absolvî ad cautelam; quia hæc potestas non competit, nisi illi, qui potest simpliciter absolvere: Et curia Laicorum nec absolvere potest, nece ad absolvendem delegare, idque, inquit, prohibetur per editum Melodunense. Quod si hoc sit verum de absolutione ad cautelam, quæ non solvit absolute, sed solum dat ius standi in iudicio: ut determinatur. cap. 36. extrâ de testibus & ut expressè docet Clericus Gallicanus in Comitiis an. 1665. & Editum Regium an. 1665. à fortiori verum est Laicos non posse impendere absolutionem, quæ det ius participandi sacris.

C O N S E C T A R I U M . II. Absolutio à Censuris debet impendi à Clerico habente auctoritatem, vel ordinariam, vel delegatam; quia non decet actum jurisdictionis ab homine, carente jurisdictione, exerceri. cap. unico, de majoritate, & obedientia in 6.

C O N S E C T A R I U M . III. Absolutio non debet concedi, incognitâ causâ; quia absolutio à censuris debet fieri liberè & non ignoranter. cap. Unico; de his quæ vi metuſue causâ fiunt. In 6.

C O N S E C T A R I A .

A quo, & quomodo impendi debeat absolutio à censuris, in mortis articulo.

C O N S E C T . I. In mortis articulo, qui-
libet Sacerdos potest Sacramentaliter absolu-

vere à Censuris, & à quibusvis peccatis quolibet Pœnitentes. Ita docet Tridentinum sess. 34. cap. 7. Sed advertendum est. 1°. eum, qui in mortis periculo à Censuris absolvitur, teneri, postquam convaluerit, se sistere superiori; alioquin reincidit in eamdem Censuram, à quâ fuerat absolutus. cap. Eos, de Sententiâ excomm. in 6. 2°. Qui absolvitur à Censuris in mortis articulo, debet promittere satisfactionem, pro facultatibus, vel per se, vel per vadim. 3°. Absolutus à Censuris in mortis articulo, debet sepeliri in loco facto. cap. Parrochiano, extra de sæpulturis.

C O N S E C T. II. Qui non potuit absolvî, dedit tamen signa Pœnitentiæ coram fidelibus, debet post mortem absolvî, & sepeliri in loco Sancto. cap. à nobis extra de sententiâ excommun.

P R O P O S I T I O II. A Censuris juridicè latis *ab homine*, Ille solus potest absolvere, qui eas tulit, & sibi reservavit; & ejus loco potest absolvere ejus delegatus, ejus successor, ejus superior via appellationis; minime vero ejus inferior, vel æqualis, etiam via appellationis.

Probatur 1°. Exemplo Corinthii incestuosi, qui à D. Paulo à quo fuerat excommunicatus, absolutus fuit.

2°. Ex jure Canonico. Canone. *Si Episcopus*, causâ 11. q. 3 cap. *Si Episcopus*. De splendâ negligentia Prælatorum in 6°. & cap. *Per tuas*. Extra de Sentent excomm. Ubi, habetur, quod à Censuris latis *ab homine*, ille solus possit absolvere qui eas influxit. 3°. Ratione. Res eisdem Principiis solvit,

quibus statuitur ; ergo solus ille Prælatus , qui Censuras infixit , potest ab eis absolve-re , aut ejus Vicarius.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Censura lata ab uno Prælato non potest tolli ab alio vel æquali , vel inferiori , & à fortiori ab eo qui non est su-perior ; quia non habent ad hoc auctoritatem.

Sic nulla Censura potest tolli , vel à fœminâ , vel à laïco , quia nec fœmina , nec laicus habent potestatem spiritualem . Sic Censura lata ab uno Episcopo non potest tolli ab alio Episcopo : id enim vetant Canones Apostolici 12. 33. injungentes Episcopis , ut non recipiant Clericos à suo Episcopo excommunicatos ; & Epis-copus , qui absolvit excommunicatum non sibi subditum , fit *reus fraternitatis*. Concil. Arelat. can. 3.

Sic etiam extra casum appellationis , su-perior , etiam Papa , nequit absolvere à Censu-
ris euni , qui est ligatus ; quia inquit Greg. lib.
9. Epist. 32. *Si sua cuique iurisdictio non ser-vatur , quid aliud agitur , nisi ut per quos Eccle-siasticus custodiri debuit ordo , confundatur.* Et Hyginus Papa , teste Epiphanio , noluit Marcionem à suo & patre , & Episcopo excommuni-catum absolvere . *Non possumus , inquit , hoc si-ne permisso venerandi patris sui facere.*

CONSECTARIUM II. Censura lata ab Episcopo potest tolli ab Archiepiscopo , viâ appellationis , vel in cursu visitationis . cap. Venerabilibus: De Sent. ex comm. in sexto .

CONSECTARIUM III. Censura lata ab Ar-

166 MORALIS CHRISTIANA
chiepiscopo, à Concilio Provinciali, natio-
nali, &c. potest tolli à summo Pontifice viâ
appellationis. Canone. *Per cuncta.*

CONSECTARIUM IV. Censura lata à
particulari superiori Religionis, potest tolli
ab ejus superiori. v. g. Ab Abbe, & Curia
Abbatis à Romano Pontifice. Canone. *Per
cuncta.*

CONSECTARIUM V. Censura lata à
Superiore Prælato non potest tolli ab inferio-
ri, nec ab æquali, quando Prælatus sibi re-
servavit Censuræ absolutionem; quia par in-
parem non habet autoritatem, & ita Curia
tus non potest absolvere à Censuris latis ab
Episcopo, nec Episcopus à Censuris latis ab
Archiepiscopo, nec Archiepiscopus à Censu-
ris latis à supremo Pontifice, nec particula-
ris superior à Censuris latis ab Abbe.

Dixi, si Censura sit lata juridicè; quia ita
exigit ordo jurisdictionis; si enim Censura se-
ratur non per modum Sententiæ, sed per mo-
dum statuti; potest quilibet Prælatus eam
solvere, modò non sit reservata.

Sic, si quis ligatus Censurâ *ab homine*, tran-
seat ab Episcopatu, in quo juridicè ligatus est,
ad alium Episcopatum, non potest absolvi,
nisi ab eo Episcopo, à quo juridicè ligatus
est, benè tamèn à Censurâ latâ à jure. Ita
Panormitanus, *A Sententiâ*, inquit, *latâ ab
homine*, *nemo potest absolvere*, *præter feren-
tem*, *vel superiorem*. Ita. cap. *Grave nimis.*

PROPOSITIO III. Ab omnibus Cen-
suris, & irregularitatibus, & casibus reser-
vatis summo Pontifici, potest Episcopus absol-
vere in foro interiori, modò casus sit occultus,

DE CENSURIS ECCLESTASTICIS. 167
& non publicus. Exceptâ eâ irregularitate,
quæ oritur ex homicidio voluntario.

Probatur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. De reform. Ubi sic habetur. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensi-
nibus, ex delicto occulto provenientibus, Excep-
tâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, &
exceptis aliis deductis ad forum Contentiosum,
dispensare in quibuscumque casibus occultis,
etiam sedi Apostolicae reservatis, delinquentes
quoscumque sibi subditos, in Diœcesi suâ per se
ipatos, aut Vicarium, ad id specialiter deputa-
tum, in foro Conscientiae gratis absolvere, im-
positâ pænitentiâ salutari, idem & in hæresis
crimine in eodem foro conscientiae eis tantum,
non eorum Vicariis, sit permisum.

Consecraria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Episcopi possunt
tollere irregularitates ex delicto, minimè
verò eas, quæ proveniunt, vel ex defectu na-
turalium, vel ex defectu Sacramenti. Quia Con-
cilium loquitur solum de irregularitatibus ex
delicto: imò licet valeat ab occultâ simoniâ
dispensare, non tamen potest Simoniacum oc-
cultum rehabilitare ad Beneficia in posterum
obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simo-
niam occultam obtinet. Ita declarationes
Concil. num. 2.

C O N S E C T A R I U M II. Episcopi pos-
sunt tollere irregularitatem, quæ provenit ex
quocumque crimen occulto. Quia inter cri-
mina, Concilium excipit solum homicidium
voluntarium; ita Trident. loco citato.

CONSECTARIUM III. Episcopi non possunt tollere irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, etiam occulto, ob horrorem, quem habet Ecclesia contra effusionem sanguinis. Ita Consilium Trident. loco citato.

CONSECTARIUM IV. Episcopi non possunt absolvere à casibus, Papæ reservatis, quandò sunt publici; & deducti ad forum Contentiosum. Ita Triden. ibid.

CONSECTARIUM V. Episcopi non possunt absolvere à casibus reservatis, nisi delinquentes sibi subditos, & hoc quidem in foro conscientiæ: unde reus debet absolvi non ab Episcopo vel natalium, vel beneficii, sed ab Episcopo ejus loci in quo commemoratur; dum accipit absolutionem, quia subditus est illius Episcopi, in cuius Diœcesi commemoratur, dum absolvitur. Ita declarationis Concil. num. 4.

CONSECTARIUM VI. Episcopi in Galliâ, vel ex jure, vel ex consuetudine, solent absolvere ab hæresis criminè, non solum per se ipsos, sed etiam per Vicarium, ad id spectraliter deputatum. Ita Doctores Galli.

CONSECTARIUM VII. Episcopi possunt absolvere à casibus summo Pontifici reservatis, quandò difficilis est recursus ad summum Pontificem. cap. *Mulieres* & cap. *De monialibus* & cap. *Quamvis de Sentent. Excomm.*

CONSECTARIUM VIII. Episcopi soli, & non alii possunt à prædictis casibus absolvere, & prædictas irregularitates tollere: & ita qui habent solum jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem

Episcopum, v.g. Abbates, Parrochi id nequeant. **episcopale**
Ita declarationes Concilii num. 1.

PROPOSITIO III. A quibuscumque Censuris, latis à jure, modò non reservatae sint, potest absolvere quilibet Sacerdos, habens facultatem absolvendi à peccatis.

Probatur 1º. Christus videtur hanc potestatem concessisse Sacerdotibus, dūm dixit. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Mathæi. 18. v. 18. Sicut hæc verba indicant Sacerdotes posse absolvere à peccatis non reservatis, ita & à Censuris.

2º. Id colligitur ex cap. *Nuper.* Extra. De Sentent. excomm.

3º. Quia ex ipso, quod Ecclesia sibi reservavit aliquas Censuras, videtur Confessariis concessisse facultatem absolvendi ab aliis Censuris.

consecaria hujus Doctrinae.

CONSECARIUM I. Quilibet Confessarius potest absolvere à quibuscumque Censuris, vel à Papâ, vel ab Episcopo, vel ab Abate infletis; si eas Prælatus non sibi specialiter reservaverit.

CONSECARIUM II. Quilibet Confessarius potest absolvere à Censuris latis, non per modum Sententiæ, sed per modum statuti; quia hoc ipso, quod Censura exprimitur per modum statuti, Censetur regulariter non reservata, nisi aliter exprimatur in statuto: Idem sentiendum de suspensione non reservata.

C A P U T V.

De Censuris in Particulari, & primò de Excommunicatione majori & minori.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotplex sit Excommunicatio major.

EXCOMMUNICATIO Major est Censura Ecclesiastica, quā Christianus jure bonorum, toti corpori Ecclesiae Communium, privatur, in magni alicujus delicti vindictam. Excommunicatio major varia sortita est nomina. Dicitur *Relegatio* à Tertuliano, Apolegeticō. cap. 39. Quia per eam baptisatus, quasi ab Ecclesiæ sinu relegatur. Dicitur *Absentio* à Cypriano, Epist. 28. Quia per eam fidelis ab Ecclesiæ bonis cogitur se abstinere. Vocatur insuper *Anathema*, non quidem Anathema consecrationis, quo aliquid dicitur Deo Sacrum, in quo sensu Josuē cap 6. Exuvias Jericho vocat Anathema; nec dicitur Anathema occisionis, quo sensu aliquid dicitur morti destinatum, sed excommunicatio vocatur *Anathema separationis*, quo quis dicitur solemniter separati ab aliquo cœtu, vel ab alicujus consortio; in quo sensu dixit D. Paulus. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, Anathema fit, seu Maranata.*

Excommunicatus aliud est occultus, aliud manifestus; aliud nominatus, aliud non nominatus, aliud toleratus, aliud non toleratus.

Excommunicatus occultus est ille, qui ad misit aliquod crimen, cui annexa est major excommunicatio, sed res non est manifesta, nec publicitate facti, nec publicitate juris; ut vulgo loquuntur. Publicitas facti est ea, quæ reddit rem ita manifestam, ut nullâ tergiversatione celari possit. Publicitas juris est ea, quæ habetur, vel ex confessione Rei, vel ex convictione juridicâ Rei, vel ex Sententiâ judicis; modò confessio, convictio, Sententia sicut in foro contentioso, vel Ecclesiastico, vel sacerdotali; alioquin casus censetur juridicè occultus, quantumvis manifestè appareat. Quia potest semper aliquâ, ut dicunt, tergiversatione celari. Excommunicatus manifestus est ille, qui commisit actionem, cui annexa est excommunicatio major; quæ actio est manifesta, vel publicitate juris, vel publicitate facti. Excommunicatus nominatus est ille, qui incidit in casum, cui annexa est excommunicatio major, & citatus fuit juridicè nominatim; & tamen non comparet. Excommunicatus non nominatus est ille, qui incidit in casum, cui est annexa Excommunicatio major, sed non fuit nominatim citatus à iudice. Excommunicatus non toleratus est ille, quem fideles tenentur fugere; quem si non fugiant, incident in excommunicationem minorem. Excommunicatio aliquandò est unica, aliquandò multiplex. Excommunicatio est unica, quandò unica est deformitas, cui Ecclesia excommunicationem annexuit; multiplex vero, cum multiplex est deformitas, cui annexa est excommunicatio. Excommunicatio censetur multiplex, quandoque ex parte

172 · MORALIS CHRISTIANA.
personæ læsæ , v. g. Cum uno actu multæ
personæ v. g. Duo Clerici occiduntur : Quan-
doque ex parte actionis , quæ multiplex est,
ut cum intra horas duas Clericus, primò per-
cutitur , postea verò injuriosè exuitur :
quandoque ex parte effectus , ut cùm uno ac-
tu duplex jus violatur , v. g. Percutitur Cle-
ricus , & in Ecclesiâ usque ad sanguinis effu-
sionem vulneratur : quandoque ex parte legis,
ut cum duplex lex eodem actu violatur , v.
g. Cùm Sacerdos celebrans ab excommuni-
cato percutitur , & violentè cogitus sacrum
coram excommunicato persequi , quo actu vio-
latur lex prohibens Clerici percusionem , &
lex vetans celebrati sacra coram excommuni-
cato. Qui multiplici excommunicatione li-
gatus est , non potest absolvî nisi declaratis
omnibus momentis , quibus speciali aliquâ
ratione ligabatur , v. g. Si quis in Ecclesiâ
sepeliret. 1°. Tempore interdicti. 2°. Excom-
municatum à jure. 3°. Nominatim excommuni-
catum , triplicem Censuram incurreret , nec
absolutus censeretur , nisi his omnibus causis
expressis.

ARTICULUS II.

¶ De Effectibus Majoris Excommunicationis.

PROPOSITIO I. Excommunicatio ma-
jor privat excommunicatum omnibus ho-
nis , quæ debentur fideli : quatenus est filius
Dei , membrum Ecclesiæ , & pars Reipublicæ
Ecclesiasticæ : & ita directè excommunicatio
privat. 1. Communione gratiæ. 2. Communione

Sacramentorum. 3. Communione precum. 4^o. indirectè privat communione civili.

Probatur. 1^o. Ex Scripturâ. Excommunicatus est sicut ethnicus & publicanus : juxta illud. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Atqui ethnicus privatitur omnibus bonis, quæ debentur fidelis, quatenus est Filius Dei, membrum Ecclesiæ, & pars Reipublicæ Christianæ; ergo & excommunicatus.

2^o. Ex jure Canonico , excommunicatio separat fidem à Christo, & tradit diabolo ; Canone, *Omnis Christianus.* Excommunicatio separat ab Ecclesiâ & à fidelium consilio; ergo excommunicatio major privat omnibus Ecclesiæ bonis. Unde ab Aug vocatur, *damnatio, quam facit Episcopate judicium, quam pænâ nulla in Ecclesiâ major est.* lib. de corrept. & gratia cap. 15.

3^o. Ratione. Fidelis potest considerari quatenus filius Dei , quatenus membrum Ecclesiæ , quatenus concivis christianorum: excommunicatio privat fidelem omnibus bonis, quæ debentur illi propter prædictos titulos ; quia fidelis per peccatum , quod excommunicacionem meretur, exhibit se rebellem Deo , contumacem Ecclesiæ & noxiū proximo direcione in spiritualibus , & indirectè in civilibus : ergo directè privat Communione gratiæ , sacramentorum , & precum , indirectè vero Communione civili.

Ecclesia est Corpus Mysticum . fideles sunt membra unita , excommunicati sunt membra absisa ; atqui membra absisa non recipiunt influxum debitum corpori. Ergo nec excom-

municati recipiunt influxum debitum Ecclesiae , & proinde directe privantur bonis Ecclesiae, scilicet gratia & Sacramentis Christi & fidelium precibus , indirecte vero Communione civili.

Ecclesia est respublica bene ordinata; fideles sunt ejus cives , excommunicati sunt cives ejecti , & rebelles. Atque cives rebelles non participant bonis Reipublicae. Ergo nec excommunicati participant bonis Ecclesiae.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Excommunicatio major producit in anima effectus , qui hinc subjiciuntur.

1°. Excommunicatus est separatus à Christo ; quia excommunicatio major supponit peccatum mortale , junctum cum contumacia , & propter illud Christianus separatur à Redemptore. **Canone** ; *Omnis Christianus , causâ II. q. 3.*

2°. Excommunicatus est traditus satanæ , non per possessionem , vel obsessionem , sed per desertionem ; quia relinquitur expositus insidiis diaboli , sicut ovis errans sine Pastore; **Canone**; *Nihil sic debet , causâ II. q. 3.* Quia , ut ait Aug. serm. 6. De verbis Domini. *Quia satanas extra Ecclesiam Dominus est , sicut in Ecclesia Christus.*

3°. Excommunicatus est separatus ab Ecclesiâ ; quia , ut docet Tertullianus . excommunicatio est , summum futuri iudicij præjudicium : ergo sicut in ultimo iudicio reprobis separabuntur à cœtu fidelium ; ita & excommuni-

nicatis separantur ab Ecclesiâ. Ne unius ovis dirum contagium, innoxium Christi, gregem venenosâ commixtione contaminaret. Vincent. Lin. in comm. num. 8.

4. Excommunicatus nequit recipere licite Sacra menta. cap. cum illorum. Extra de sentent. excommunic. neque Sacerdos excommunicatus potest Sacra menta administrare, quo sit, inquit Leo Epist. 10. ut *Irrigatione tam saevi supplicii anima sanciata, exuta omni munimine & inermis, quodammodo diaboli incur sibus ob jiciatur.*

5. Excommunicatus non potest licite di vinis officiis inter esse, v. g. Missæ, Pocessio nibus, Horis Canonici s, &c. Ità Canone En geltrudam, causâ 11. q. 4. & cap. Qued in te. Extra. De Pœnitentiis & remissionibus. Ideò si excommunicatus vi vellet Divinis Officiis inter esse, debet moneri ut recedat ab Ecclesiâ; si nolit recedere, debet expelli; si sit fortior; Sacerdos debet absolutè cessare à Divinis Of ficiis. Si sacrificium Missæ jam incohasset, & nondum ad Canonem pervenisset, debet in termittere Missam, donec exierit. Eo autem non excunte, debet deponere vestes & Sacri ficium non offerre. Si denique Canone jam in cohato, excommunicatus ingrediatur, debet Missam absolvere usque ad Communionem inclusivè, mox autem recipere se in sacris tiam, & ibi reliqua decenter perficere.

6. Excommunicatus privatur Sepulturâ Eccles iasticâ, quæ est veluti Sacramentum futuræ re surrectionis. Si excommunicatus in Ecclesiâ sepeliatur, non solùm ex sanctâ humo eruen dum est corpus, & alid transferendum, sed

locus ille sacer tandiu profanus censetur ; quandiu solemnni reconciliatione non est purgatus. Imò Clerici tūm sēculares , tum regulares , qui nominatim excommunicatos se peliunt, ipsi met excommunicantur , nec absolvi possunt, donec condignā satisfactione injuriam Ecclesiæ illatam reparaverint : ut jubet caput *Quicumque de hereticis* in 6. Et meritò quidem sacrâ sepulturâ privantur excommunicati. *Quibus enim, inquit Leo, non communicamus vivis, nec mortuis possumus communicare.* Can. I. 24. q. I.

C O N S E C T A R I U M II. Excommunicatio major producit relativè ad forum externum Ecclesiasticum effectus , qui hīc subjiciuntur. 1°. Excommunicatus est inhabilis ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica obtainenda. Ita ut Electio , Præsentatio , Institutio , Collatio facta in favorem excommunicati sint nullæ. cap. *Postulasti, Extra De Clerico excommunicato:* & si per annum perseveret in excommunicatione , à Beneficio anteà obtento potest deponi. 2°. Clericus excommunicatus privatur omni jurisdictione Ecclesiasticâ. cap. *Ad probandum. Extra. De re judicata;* & privatur facultate agendi , coram viris Ecclesiasticis. 3°. Clericus excommunicatus contrahit irregularitatem , si sui ordinis actum exerceat. cap. *Apostolice. Extra De Clerico excommunicato.* 4°. Omnia Rescripta , quæ à supremo Pontifice diriguntur ad excommunicatum , non valent in favorem excommunicati , nisi per eadem Rescripta tollatur excommunicatio. cap. *Ipsō jure de Rescriptis* in 6. 5°. Excommunicatus , quamdiu est innodatus ex-

communicatione, non potest fructus Beneficii Ecclesiastici percipere. cap. *Pastoralis extra.* De appellatione.

C O N S E C T A R I U M III. Excommunicatio major producit, relativè ad forum externum civile, effectus, qui h̄ic subjiciuntur. 1º. Excommunicatus est infamis. Ideò non potest esse Judex, Procurator, Advocatus, Tabellio, Testis, Tutor, Curator; demum subjicitur omnibus pœnis, latis contra infames, causâ 6. q. 12. Privatur civili commercio. Canone. *Excommunicatos, causâ 11. q. 13.* Ideoque privatur omnibus bonis, quæ hoc versu continentur.

Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Os negatur; quia cùm excommunicato colloquium familiare habere non licet, sive verbis fiat, sive signis fiat, sive Epistolis, aut alio modo. *Orare* negatur; quia cùm eo non licet preces fundere, v. g. Breviarii horas recitare; matutina, vel serotina suffragia simul offerre. *Vale* negatur; quia non licet salutationes, aut signa reverentiae illi exhibere, nec deferre munera, &c. Imò secundum aliquos casuum conscientiae arbitros, non licet excommunicatum resalutare. *Communio* negatur excommunicato; quia non licet cùm eo in eâdem domo habitare, nequè cùm eo negotiari; vel laboris, & operarum jungere societatem. *Mensa* negatur excommunicato; quia non licet cùm eo in eâdem mensâ edere, vel in eodem lecto dormire. Et quicumque uno ex his modis ei communicat, præter inobedientiae peccatum, quo Ecclesiæ, quæ salutem excommunicati requirit, reluctatur, minorem incurrit excom-

178 MORALIS CHRISTIANA
niunicationem , agendo contra ista sacrarum
paginarum oracula. *Sic tibi sicut ethnicus &*
publicanus. Mathæi 18. v. 17. *Nolite recipere*
eum in domum , nec ave ei dixeritis , qui enim
dicit ei Ave , communicat operibus ejus malig-
nis. 2. Joan. 10. *Auferte malum ex vobis ip-*
sis. 1. Ad Corinthios. cap. 9. v. 13. & v. 16.
Si his , qui frater nominatur , est fornicator , aut
avarus , aut idolis serviens , aut maledicus , aut
ebriosus , aut rapax , cum ejusmodi nec cibum
sumere. Et si Christianus pertinax fuerit in
communicatione cum excommunicato , majo-
ri excommunicatione notari meretur. At si in
crimine etiam propter quod excommunicatus
est , cum eo communicet , eamdem cum eo
excommunicationem , ipso facto , incurrit.
Si post sententiam excommunicationis , idem
cum excommunicato crimen perpetret . v. g.
Si cum concubinâ peccet , una cum adultero ,
qui propter adulterium excommunicatus est ;
vel si excommunicato præbeat auxilium ,
consilium , ut in criminis facilius perseveret ,
& pœnam vitet , eamdem excommunicationem
subit.

ARTICULUS III.

De Excommunicatis vitandis.

PROPOSITIO I. Nemo vitare tenetur
excommunicatum excommunicatione ma-
jori nisi sit nominatim denunciatus , vel ob
evidentiam patrati criminis , ipso facto , ex-
communicatus agnoscatur.

Probatur ex constitutione , quæ incipit ,
Ad vitanda scandala. Hæc constitutio abscti-

bitur Martino quinto; dicitur facta in Concilio Constantiensi, sed non reperitur inter acta Concilii Constantiensis, sed inter Decreta Concilii Basiliensis sess. 2a. & in Concordato inter Leonem X. Et Franciscum I. Et approbatur in Concilio Lateranensi 5°. Et demum usu generali admittitur.

Hæc constitutio sic habet. *Nemo à communicatione alicuius, in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra; hoc est in civilibus rebus, prætextu cujuscumque Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiastice suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliè promulgatae abstinere teneatur, vel interdictum Ecclesiasticum observare, nisi Sententiæ prohibitio, suspensio, vel Censura hujusmodi fuerit contra personam, vel Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certa loca à judice publicata, & denunciata specialiter, & expresse, aut notoriè in excommunicationis Sententiam constituit incidisse, quod nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquò juris suffragio excusari, eum à Communione illius abstinere nolumus, juxta Canonicas Sanctiones.* Per hoc tamen excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodo libet suffragari.

Divus Antoninus. 3a. Parte, titulo 25. cap. 3. Prædictam constitutionem refert cùm sequenti clausulâ. *Salvo, si quem pro sacrilegia manuum injectione in Clericum, sententiam latam à Canone adeò notoriè constituerit incidisse, quod factum non possit aliquâ tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari; nam à com-*

180 MORALIS CHRISTIANA;
munione illius, licet denunciatus non sit, volunt
mus abstineri, juxta canonicas sanctiones.

2º. Ratione- Pia mater Ecclesia voluit in
hoc severitatem juris antiqui temperare ad
sedanda scandalum, & multa pericula, quæ ex
excommunicationibus passim latis poterant
venire & ad subveniendum conscientiis timoratis.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Christiani non
tenantur vitare etiam secretò excommunicatos
occultos, & possunt licetè cum illis com-
municare vel in spiritualibus, vel in tempora-
libus.

C O N S E C . II. Christiani non tenantur
vitare etiam publicè excommunicatos mani-
festos & non denunciatos, & possunt com-
municare cum illis in spiritualibus, & tem-
poralibus.

C O N S E C T . III. Christiani non tenen-
tur vitare neque publicè, neque privatum
excommunicatos, nisi sint juridicè, & nomi-
natim denunciati.

C O N S E C T A R . IV. Judex Ecclesiasticus,
etsi excommunicatus, suspensus, vel inter-
dictus, tamdiu potest validè suam jurisdic-
tionem exercere, donec cum consuetâ juris
formâ fuerit nominatim declaratus, vel ex-
communicatus, vel suspensus, vel interdictus;
& Tribunal Romanæ Rotæ non censet irrita-
acta judicis excommunicati, nisi post juridi-
cam denunciationem.

C O N S E C T . V. Juxta clausulam ab An-
tonino relatam, tenemur evitare publicum
Clerici

Clerici percussorem etiam non denuntiatum, modò factum nullâ tergiversatione celari pos-
sit, & nullo juris suffragio excusari. Quid
raro quidem in praxi contingit; nam existat
aliquis, qui palam coram omnibus Clericum
percusserit, numquid ante juridicam denun-
tiationem hæc causare poterit? Quod igno-
ranter fecit, vel nesciens percussionem Clerici
esse veritam sub pœnâ excommunicationis,
vel eum quem percussit esse Clericum, vel po-
terit dicere, se id fecisse non ex malitiâ, sed
ex inadvertentiâ, vel ut vim vi repelleret;
& alias hujusmodi excusationes afferre pote-
rit, quæ etsi in rei veritate sint nullæ, tamen
non sunt per judicem nullæ declaratae, in-
quit Saïrus, ità ut notorius Clerici percussor
non habeatur de facto excommunicatus; Per-
cussio enim illius potest aliquo juris suffragio
à censurâ excusari, & ità juxta primum Gal-
licanæ Jurisprudentiæ, non est vitandus, do-
nec accesserit juridica declaratio, quæ sit,
vel in Ecclesiâ à Parrocho, vel per affixio-
nes ad valvas Ecclesiæ, vel alibi.

ARTICULUS IV.

De his, qui in Gallia censentur denuntiati.

PROPOSITIO Unica. In Gallicanæ
Jurisprudentiæ praxi non alia admittitur
notorietas, quam notorietas juris. Ita sen-
tiunt Dominus de Fleury, Natalis Alexander,
in suâ Dogmaticâ & Morali Theologiâ, tom.
5. lib. 2. Reg. 28. Huic Doctrinæ non vide-
tur refragari Sanctus Augustinus, sermone 351.

Tom. V.

Q

in et quinquaginta homilias. Nos vero à communione prohibere quemquam non possumus, quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive seculari, sive Ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. Et idem Aug. serm. 351. de poenitentiâ docet Deum nolle, ut quem judicemus: *Nisi ultro confessum, sive accusatum, atque convictum.*

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Nulla Censura, sive excommunicatio, sive suspensio, sive interdictum, censetur manifesta, nisi declarata fuerit talis juridicè.

CONSECT. II. Nulla irregularitas censetur pariter manifesta, nisi fuerit similiter declarata talis juridicè.

ARTICULUS V.

De Peccatis Christianorum, qui communicant cum excommunicatis denuntiatis.

PROPOSITIO I. Peccant lethalièr, qui cum excommunicato denuntiato comunicant, vel in criminè, vel in divinis, immo etiam in civilibus, si istud ultimum fiat in contemptum Ecclesie.

Probatur 1º. Scriptura insinuat illud peccatum esse mortale, dàm dicit de excommunicato *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ergo sicut peccaret graviter, qui cum ethnico se gereret, quasi esset fidelis, ita & qui

se gerit cum excommunicato, quasi non esset excommunicatus.

Z 2^o. Ex div. Thom. *Probabilius*, inquit, videtur, quod non semper peccat mortaliter, scilicet participans cum excommunicato, sed solum, quandem in crimen illius participat, vel in Divinis, vel in contemptum Ecclesie, supplem q. 23. a. 3. in corp.

Z 3^o. Ratione. Peccat graviter, qui in re magni momenti violat præcepta Ecclesie; quia Præcepta Ecclesie ligant in conscientia. Cum ergo præceptum illud Ecclesie de non communicando cum excommunicatis sit in re gravi, ille haud dubie peccat graviter, qui illud infringit...

Consecaria hujus Doctrinæ:

C O N S E C T A R I U M I. Ille peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem maiorem, qui in crimen communicat cum excommunicato, vel jussu, vel Consilio, vel consensu, &c. Quia consentientem, & facientem per pœna constringit. cap. *Nuper*. Extræ De Sententiâ excommunicationis.

C O N S E C T A R I U M II. Ille, qui cum nominatum excommunicato participat delibera-
tâ voluntate, si monitus, nolit resipicere;
& recedere ab excommunicati conversatione,
mortaliter peccat, & est plectendus excom-
municatione majori; quia ejus pertinacia hanc
meretur pœnam. cap. *Cum in dubiis* Extræ de
Sententiâ excommunicationis. De quo ita D.
Thom. ibid. ad 3. *Participare excommunicato*
perlinaciter, est peccatum morale, & propter hoc

184 MORALIS CHRISTIANA.
potest aliquis excommunicari secundum jura.

CONSECT. III. Peccat mortaliter , & incidit in excommunicationem minorem , & interdicitur ingressu Ecclesie Clericus , qui confert Sacra menta excommunicato denuntiatio. cap. Episcoporum. De Privilegiis in 6.

CONSECTARIUM IV. Peccat mortaliter & incidit in excommunicationem minorem & seriendus est excommunicatione majori , qui communicat in divinis cum excommunicato denuntiatio. Ita D. Thomas loco superius indicato ; & jus Canonicum. cap. Significasti. Extrà de Sententiâ excommunicationis. Imò seriendus est excommunicatione majore , ut habetur , & dicitur in cap. Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante.

Unde & peccat mortaliter , & incidit in excommunicationem minorem , sive Laicus , sive Clericus , qui publicè orat pro excommunicato precibus illis , quas adhibet Ecclesia , v. g. Facit commemorationem illius in Missâ , &c. Quia Ecclesia vetat fieri pro excommunicatis preces publicas ; in eamdem pœnam & peccatum incideret , qui cum excommunicato publicè oraret. Ita D. Thomas suppl. q. 21. a. 1. ad 1.

MONITUM. Licet tamen pro excommunicatis in genere orare sed non inter orationes , quæ non pro membris Ecclesie sunt. Ita sentit D. Thomas ibid. Sic enim orari solet pro Schismatis . & hæreticis in die Parasceves , qui tamen ipso jure excommunicati sunt. D. Bernardus tamen , de gradibus humilitatis 22. Notat , tunc mentionem excommunicatorum non fieri ; quia scilicet pro eis rogat Ecclesia ,

non sub excommunicatorum nomine, sed sub nomine peccatorum. Licet etiam in particuli-
lari pro excommunicatis, sive in communi,
sive in singulari orare; ad hoc Parrochi pro
suis ovibus tenentur, si aliquo forte fulmine
excommunicationis notatæ sint.

ARTICULUS VI.

*De his, que possunt excusare Christianos à pecca-
to, quando communicant cùm excom-
municatis.*

PROPOSITIO Unica. Christianus potest
citrà peccatum communicare cùm excom-
municatis; quoties honor Dei, utilitas pro-
pria, vel proximi, illud exigunt.

Probatur. Præceptum Ecclesiæ non ligat
contra ordinem charitatis; quia finis præcep-
ti est charitas. Ergo si honor Dei, quem de-
bemus diligere super omnia, si bonum tum
nostrum, tum proximi, exigant, ut communice-
mus eum excommunicatis, debemus cum illis
communicare.

Ita D. Thomas in 4. sent. dist. 28. q. 3.
articulo 4. quæstioncula. Ia.

Unicum Consecutarium hujus Doctrinae.

In quinque casibus cum excommunicato sibi
cet aliquam communionem habere, qui hoc
versu comprehenduntur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

*Cap. quoniam multos, causâ 11. q. 3. Utile, id est
utilitas spiritualis excommunicati, ut doceatur.*

Q. iij

186 MORALIS CHRISTIANA.
& ad obedientiam inclinetur : hoc tamen non omnibus concessum, sed eis, quibus animæ ipsius cura commissa est, quales sunt Parrochi, & alii Clerici, vel Laïci, quibus onus hoc ab Episcopo speciatim committitur, vel permittitur. In hac tamèn communicatione observandum est, ut nihil agatur, nisi quod ad eam communicati utilitatem conducere existimat. *Lex*, conjugii scilicet, à quâ non dispensatur unus excommunicatione alterius. Potest enim conjux cùm excommunicato conjuge eadem agere, quæ ante Sententiam excommunicationis; in criminis tamen, propter quod lata est Sententia excommunicationis participare cum eo non licet, sed pro eo potius Deus orandus est, & pœnitentiâ aliquâ flectendus, ut conjugi excommunicato spiritum gratiæ restituat.

Humile, id est subiectio, & obedientia, quam filii debent Parentibus, & servi, vel fansuli, tam civitatis, quam ruris Dominis suis debent, à quâ non dispensantur excommunicatione parentum, vel Dominorum. Si tamen præciperent aliquid, quod pertineret ad crimen, propter quod excommunicati sunt, obtemperare non deberent, sed potius humiliter profiteri se, non posse contra Dei mandatum agere.

Filios dixi ; nam alii consanguinei eo verbo non intelliguntur. Quin etiam fratres, patrui, avunculi, cognati eo magis excommunicati communionem vitare debent, quo efficacius è separatione excommunicati moveri solent ad pœnitentiam. Quandòque tamèn Episcopus hoc eis concedit, cùm expe-

dit conversioni excommunicatorum. *Res ignorata*; id est, cùm aliquis nescit bonâ fide aliquem excommunicatione percussum, & cùm eo communicat. Hoc ut vitetur, solet excommunicati nomen valvis Ecclesiæ affigi, & publicari in vicis præcipuis. *Necessitate* id est, cùm negotiorum necessitas hoc indispensabiliter postulat. Sed eâ libertate abutendum non est, ad non necessarias fermocinationes, & ad nova negotia tractanda, potest creditor debitorem in jus vocare, ut debita solvere cogatur. At non licet Notariis, & Officialibus in favorem eorum, qui pro notoriis criminibus excommunicati sunt, acta scribere, & significare, ut excommunicati Ecclesiasticam disciplinam vitent; & præter peccatum, quod incurunt, inobedientiam excommunicatorum sic fovendo, tenentur ad reparationem damnorum, quæ à Sacerdotibus propterea incuruntur. Possunt etiam Medici, & Chirurgi excommunicatis ægrotantibus adesse; sed communicare cùm eis non plus debent, quâm morbi necessitas postulat. Ipsi etiam excommunicati à fidelium communione se sponte separare debent; aliquid novam inobedientiam committunt, & peccati aliorum quodammodo authores reputantur. Concionatores possunt cùm excommunicatis communicare & peregrini ab eis cibos emere. **Canone.** *Quoniam multos, causâ II. q. 3. cap. cum voluntate. Extra, de Sententiâ excommunicationis.*

ARTICULUS VII.

*De Peccatis & Pœnis Excommunicatorum, qui
nolunt abstinere à Divinis.*

PROPOSITIO Unica. Excommunicati, sive manifesti, sive occulti graviter peccant, & novas pœnas Ecclesiasticas incurront, si pertinaciter contrà Ecclesiam veritum Divinis se se velint ingerere.

Probatur 1° Illud scriptura videtur indicare, dum dicit quod excommunicatus habendus sit, sicut *Ethnicus, & Publicanus*; cum enim Ethnicus nequeat citrè grave peccatum se se Divinis immiscere, ita nec excommunicatus, in hoc similis Ethnico.

2°. Ex div. Thomæ suppl q. 21. a. 4. Ubi loquens de excommunicatione etiam injustam ait, quod si excommunicatus cani contemneret, eo ipso peccaret mortaliter. Ergo à fortiori peccant justè excommunicati, qui pertinaciter divinis se se immiscent.

3. Ratione Ille peccat & meretur novam pœnam, qui contumaciter non obedit Ecclesiam; quia contumacia est peccatum merens pœnam. Atqui excommunicatus, sive publicus, sive manifestus, contumaciter non obedit Ecclesiam, hoc ipso quod ingerit se divinis; quia Ecclesia omnibus excommunicatis prohibet participationem divinorum. Ergo peccant graviter & novam pœnam incurront excommunicati, qui se divinis ingerunt.

Conseccaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Excommunicati etiam occulti non sunt immunes à pœnis, latiis contra excommunicatos manifestos; si se divinis immisceant. Quia constitutio, *Ad vitanda scandala*, non est in favorem excommunicatorum, sed in favorem eorum, qui cum excommunicatis occultis communicant.

CONSECTARIUM II. Peccat mortaliter excommunicatus, sive publicus, sive occultus, sive Clericus, sive Laicus, si aliquod Sacramentum recipiat, antequam sit absolutus ab excommunicatione; quia prohibetur excommunicatis receptio Sacramentorum. cap. *cum illorum*, & cap. *si quem*. Extra. De Sententiâ excommunicationis.

CONSECTARIUM III. Peccat mortaliter Clericus excommunicatus sive publicus, sive occultus, & insuper irregularitatem incurrit, si officiat, ut coram se Sacra celebrentur; quia excommunicato prohibetur Sacris interesse. cap. *Illud Dominus*, Extra. De Clerico excommunicato.

CONSECT. IV. Peccat lethaliter, & insuper fit irregularis Clericus excommunicatus, sive publicus, sive occultus; si ante absolutionem ab excommunicatione, sui ordinis munus aliquod obeat; Præterea si monitus absque morâ non respiccat, plectitur pœna perpetuae depositionis. cap. *Clerici*. Extra. De Clerico excommunicato.

CONSECT. V. Clericus, qui dubitat de excommunicatione in ipsum latâ, si in tali

390 MORALIS CHRISTIANA.
dubio Officium sui ordinis exerceat , videtur irregularitatem incurre. cap. *Cum illud Dominus.* De Clerico excommunicato Si tamen ignoret , ignorantia non crassam , sed inculpabilem esse excommunicatum , & sui Ordinis actum exerceat , non incurrit irregularitatem . cap. *Apostolice sedis.* Extra. De Sententia excommunicationis.

CONSECTARIUM VI. Excommunicati , sive manifesti , sive occulti , possunt interesse prædicationi verbi divini ; quia illud Ecclesia non prohibet , cum possit esse medium , quo convertantur. cap. *Responso.* Extra. De Sent. excommunicationis.

ARTICULUS VIII.

De Excommunicatione minori.

PROPOSITIO Unica. Excommunicatione minor est Censura , quæ privat excommunicatum passivam tantum Sacramentorum participationem. s. Decret. Tit. 39. cap. 59. si quem.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Excommunicatus excommunicatione minori peccat leiballer sacrum faciendo , sed non incurrit irregularitatem. cap. *Si celebrat.* Extra. De Clerico excommunicato. At non privatur activa participatione Sacramentorum , potest enim absolvere , potest electum confirmare , potest Sacraenta omnia administrare.

CONSECTARIUM II. Excommunicatus

minorī excommunicatione privatur electione passivā ad Beneficium , sed non activā ; potest eligere , sed non potest eligi . cap. si celebrat . ibid. Si eligeretur , non dicitur tamen eleccio illius irrita , sed irritanda . Excommunicatione minor incurritur communicando cū excommunicato publico , denuntiatio nominatim , vel cū publico Clerici percussore . Juxta quosdam Theologos excommunicatus minorī excommunicatione , conferendo Sacramento , peccat venialiter ob irreverentiam quādam ; sed Sacra menta collata tenent , & suum sortiuntur effectum , juxta omnes Doctores . Ita Toletus , lib. 1. cap. 17. Idem haberut cap. Si celebrat De Clerico excommunicato ministrante , ubi loquens de tali excommunicato , ita expressè habet . Peccat autem conferendo Sacra menta .

ARTICULUS IX.

De Monitoriis.

Monitoria sunt excommunicationes illae , que monitoribus præmissis ad finem revelationis decernuntur , inquit Trident. sess. 25. cap. 3 De refut. .

Propositio. 1. Monitoria non debent concedi , nisi ob graves causas .

Probatur 1°. Ex Trident ibid. Excommunicationes , inquit , que monitoribus præmissis ad finem revelationis , ferri solent , à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernuntur ; & tunc , & non alias , quam ex re non vulgari , causaque diligenter , ac magnâ maturitate , per

192 MORALIS CHRISTIANA.
Episcopum examinatā, quæ ejus animum moveat.

2°. Ratione. Excommunicatio nervus est Ecclesiastice disciplinæ, inquit Trident. Sed talis quodd si temere, & levibus de causis incutiatur, magis contemniatur, quam formidatur; perniciem potius parat, quam salutem. Ergo non nisi gravibus de causis debet adhiberi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Monitoria possunt concedi pro rebus magni momenti, quæ materiam civilem respiciunt; quia interest Reipublicæ, ut justitia inter homines religiosè observetur: & ita juxta Trident. ibid. Monitoria possunt decerni pro desperditis, & subtractis rebus, ut scilicet, res perditæ non injustè retineantur ab inventoribus, & res subtractæ restituantur à raptoribus.

C O N S E C T A R I U M II. Monitoria possunt decerni pro gravibus criminibus puniendis. cap. Pervenit de testibus cogendis; & pro atrocibus injuriis reparandis; quia Reipublicæ interest, ut dicit jus civile non fadri connubia, vel falsis contumelijis deformari. leg. Quamvis 3. De adulte.

C O N S E C T A R I U M III. Quamvis constitutio Pii V. veter dari Monitoria pro causis, in quibus rei possent morte damnati; tamen in Gallia contrarium exercetur. Itaque Episcopus ad id coactus, poterit Monitoria concedere, & fideles tenebuntur revelare. Usus ille fundamentum habet, in cap. Pervenit de testibus cogendis; ubi dicitur. *Quod bi, qui de rebus Ecclesiasticis testificari recusant, si ali-*
ter

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS. 173

¶ Veritas nequierit elici, ad illud sunt per censuram Ecclesiasticam compellendi. Ibi autem agebatur de injuriā illatā Clerico punienda. Ergo si Censuræ possunt decerni ad probandam injuriam illatam Clerico, quidni poterunt decerni ad probandam injuriam illatam Laïco?

CONSECTARIUM IV. Monitoria non debent concedi, nec Hereticis, nec excommunicatis, nec publicis peccatoribus, eam gratiam postulantibus; nisi prius respuerint, & certa dederint signa pœnitentiarum; gratiis enim Ecclesiae potiri non debent, qui contraria Ecclesiam pugnant; & ut dicitur leg. i. C. de Hereticis, & Manichæis. Privilegia, que contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodeesse oportet.

PROPOSITIO II. Illi omnes, & soli tenentur sub pœnâ excommunicationis, publicato monitorio, revelare, qui ex jure naturæ tenentur ad testimonium ferendum, vel pro innocentie defensendo, ante quamcumque juridicam compulsionem, vel contraria reum condemnandum, post iuridicam compulsionem, vel pro eo, qui damnum patitur, vel contra eum, qui damnum infert.

Probatur 1º. Ex jure Cano. cap. *Pervenit De testibus cogendis*; Illi soli sunt per Censuras compellendi ad testificandum de injuriā, illatā Clerico, qui presentes extiterant: qui que nolunt veritati testimonium perhibere... Ecquos constat, odio, vel gratiā veritatem supprimere, aut timere. Ut habetur. cap. *Cæterum*. eod. Tit. Ergo illi omnes, & soli te-

nentur sub pœnâ excommunicationis, publicato Monitorio, revelare, qui jure naturæ tenentur ad Testimonium ferendum, vel ut deffendatur innocens, vel ut reus justè condemnetur, vel ut puniatur, qui damnum intulit, vel ut præstetur indemnisi, qui damnum passus est.

2º. Ratione. Monitoria sunt excommunicationes ad finem revelationis. Ergo eos solum ligant, qui tenentur revelare, & testimonium ferre. Ergo illi solum revelare tenentur, qui jure naturæ obligantur ad fereandum testimonium vel pro innocentibus, vel contra reum, vel pro eo, qui damnum patitur, vel contra eum, qui damnum infert.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Illi omnes, publicato etiam monitorio, à revelatione dispensantur, qui juxta formam juris non solent à judice haberi ut testes, & quorum attestatio à judice recusatur; quia revelatio sit solum eo fine, ut testimonium juridicum feratur. Ergo qui nequeunt esse testes, non tenentur revelare; sic qui hinc subjiciuntur, revelare non tenentur. 1º. Qui rem sciunt non certò, sed solo rumore vulgi ambiguo. 2º. Qui sunt consanguinei, vel affines usque ad quartum gradum; quia judex nec illorum, nec istorum reciperebat attestacionem. Sic enim habet edictum an. 1667. a. 1. tit. *Des Enquêtes.* *Les parents, les Alliez des parties jusques aux enfans des cousins, issus des germains inclusivement, ne pourront être témoins pour déposer en leur faveur, ou contre eux.*

CONSECTARIUM II. Revelare non tenentur, qui revelando proderent vel secretum naturale, vel sigillum confessionis, vel sibi ipsis ingensdamnum, revelando, causarent; sicut enim tunc à testimonio ferendo dispensantur, ita & à revelatione. Sic qui hīc subjiciuntur, non tenentur reuelare. 1°. Confessarii in nullo casu tenentur reuelare ea, quæ sciunt viā Confessionis Sacramentalis; quia, ut ait D. Thomas, *Confessarius hujusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis praecepto.* 2°. Medici, Advocati, amici, qui aliquid acceperunt sub secreto, non tenentur reuelare, nisi ex silentio enaseretur damnum, vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel alicui innocentis; quia quilibet magis obligatur reipublicæ, & Ecclesiæ, quam amico; & satius est puniri reum justè, quam innocentem calumniosè damnari. 3°. Qui ex revelatione damnum ingens pateretur; magis enim debet proprium bonum amare, quam bonum proximi; sibi potius providere, quam proximo; nisi cum agitur de bono publico, vel civili, vel Ecclesiastico; bonum quippe privatum negligendum, ut conservetur publicum. Sic Machinatio contrà Ecclesiam, contrà Regem, impedimenta dirimentia matrimonium, & alia hujusmodi in omni casu sunt manifestanda.

CONSECTARIUM III. Revelare tenentur hi omnes, qui sciunt rem indicatam per Monitorium, quando eorum testimonium acceptandum est à judice, & inservire potest, vel ut liberetur innocens vel ut justè punia-

198 MORALIS CHRISTIANA.
tur reus , vel ut damnum imminens impe-
diatur , vel ut jam illatum reparetur ; quia
sicuti in illis casibus tenentur testimonium
ferre , ut dicemus , ubi de testibus ; ita &
monente , jubenteque Ecclesiâ , revelare . Sic
qui hîc subjiciuntur , tenentur revelare . 1°.
Laïci omnes ; quia nullam habent causam ,
quâ dispensentur à ferendo testimonio , sive
in causis sanguinis , sive in causis civilibus .
2°. Clerici , tâm regulares , quam sœculares
in causis civilibus ; quia nullum habent pri-
vilegium , quo dispensentur à ferendo testi-
monio in causis civilibus , possuntque sese
offerre , imò in causis sanguinis , factâ pro-
testatione se nolle concurrere ad effusionem
sanguinis , tenentur post citationem juridi-
cam , & revelare , & testimonium ferre ; quia
quamvis juxta D. Thom. 2. 2. q. 7. a. 1. ad 3.
Clerici , secundum ordinem juris compelli non
possunt ad ferendum testimonium in causâ san-
guinis , tamen usus contrarius viget in Galliâ .
Sic enim habet edictum an. 1670. tit. Des
informations . Toutes personnes pourront être
assignées pour être ouïes en témoignage , reco-
lées & confrontées , seront tenuës de comparaître
pour satisfaire aux assignations ; même les Ec-
clésiastiques par amande , au payement de la-
quelle ils seront contraints par saisie de leur
temporel . Enjoignant aux Superieurs Réguliers ,
d'y faire comparaître leurs Religieux , à peine de
saisie de leur temporel , & suspension des privi-
leges à eux par Nous accordez . 3°. Impuberes ,
etsi enim à ferendo testimonio regulariter
dispensentur , tamen usus contrarius viget in
Galliâ . Sic enim habet Edict. an. 1670, titus

6. art. 8. Les enfans de l'un & de l'autre sexe, quoique au dessous de l'âge de puberté, pourront être rejus à déposer, sauf en jugeant, d'avoir par les Judges tel égard que de raison à la nécessité, & à la solidité de leur témoignage.

C O N S E C T A R I U M IV. Prædicti omnes, qui revelare tenentur, peccarunt hoc ipso, quod scientes se jure naturæ teneri ad testimonium ferendum, id tamèn vel odio, vel gratiâ, vel timore, recusarunt. Gravius vero, quandò moniti ab Ecclesiâ, in eâdem pertinaciâ persistenterunt, incurreruntque excommunicationem, si ante fulminationem non revelaverint. Et post fulminationem nequeunt ab excommunicatione, quam incurserunt absolvi, nisi à superiori, qui Monitorium concessit, vel ab ejus delegato, & nisi priùs damnum, quod suo silentio causaverunt, reparaverint. Primo peccarunt, qui egerunt, contrâ jus naturale, quo, ut docet. D. Thom. 2. 2. q. 7. a 1. in corp. *Quilibet tenetur testimonium ferre in his, in quibus, secundum ordinem juris, testimonium exigitur, putâ in manifestis. & in his, in quibus infamia præcessit.* 2. Peccaverunt gravius, ubi promulgatum fuit Monitorium, qui isto Ecclesiæ præcepto restituerunt. 3°. Incurrerunt excommunicationem ante eam cæremoniâ, quam vocant fulminationem monitorii. Quia ad incurriendam reverâ excommunicationem, sufficit tria monitio, vel una peremptoria, ut dicunt. Ea enim cæremonia, quæ fulminatio dicitur, non est monitio, sed est actus judicialis, quo non revelantes declarantur juridicè excommunicati. 4°. Non possunt absolvî,

nisi ab Episcopo, vel ejus delegato; quia hæc excommunicatio non est à jure, sed ab homine. Ergo solum ab eo tolli potest, à quo inficta est. 5^a. Non possunt absolvī, nisi prius damnum causatum reparaverint; quia restitutio, quando fieri potest, debet semper præcedere absolutionem à Censuris, aut saltem ille, qui absolvitur, debet dare vadēm, qui pro ipso de restitutione sponsor existat. cap. 7. §. Sanè de sentent. excom. in 6.

ARTICULUS X.

De Excommunicationibus, quæ quolibet die Dominico proclamantur in Pronao, & quo pacto debeat se gerere Parochus, ut publicè denunciatur, qui eas incurrit.

UT quis declaretur incurrisse excommunicationem aliquam ex illis, quæ in Pronao proclamantur, v. g. Ut quis declaretur excommunicatus, ob omissum præceptum Communionis Paschalis; hæc singula sunt à Parocho observanda.

1^a. Debet Parochus legere in Missâ solemnî Decretum Concilii Lateranensis, & Trident. *Omnis utriusque sexus*, & illud explicare populo, & declarare in communi, aliquos esse in Parochiâ, qui huic officio non satisfecerunt, ubi illud tribus diebus Dominicis diversis præstiterit, debet postea secretò admonere eos, qui Communionem Paschalem omiserunt. Qui si secretæ huic admonitioni non pareant, debet eos nominatim Episcopo deferre, ut ab eo discat, quid opus sit factò;

& in hoc , sicut & in aliis singulis Curialibus
Officiis , debet Episcopo morem getere . 2^o.
Debet Parochus , attestationem habere à Pa-
rochianis , quā constet cum tribus diebus Do-
minicis admonuisse populum , aliquos esse in
Parochiā , qui præceptum de Communione
Paschali non observarunt , quibus commina-
tus est , se eos ad Episcopum delatum ire , nisi
huic præcepto brevi satisfacerent . 3^o. Opor-
tet , ut Episcopus eos declaret Promotori , &
Promotor postea libellum supplicem offerat
Episcopo , qui exigat tales , & tales nomina-
tim citari . 4^o. Si citati non compareant ,
debet Promotor eos , secundūm formas juris ,
compellere , ut compareant . Si quibuscum-
que compulsionibus resistant , debet contrā
eos , tamquam contrā rebelles , procedere , &
invocato etiam , si expediāt , brachio sacerdotali .
5^o. Si citati compareant , Ecclesiasticus iudex
debet eorum rationes audire , si validæ sint ;
v. g. Si causam habeat non confitendi pro-
prio Parocco , debet , quantum fieri potest ,
ei Confessarium feligere , qui salutem illo-
rum quibuscumque mediis procuret . 6^o. Si
citati nullas rationes offerant , hortandi sunt
ut quam primūm officio suo satisfaciant , &
in particulari injungenda est Communio Pas-
chalis , cui jussioni , si non acquiescant , de-
bent publicè in Pronao declarari excommuni-
cati , nomen eorum debet ad valvas Ecclesiæ
scribi , qui ad Ecclesiæ Conventum posteā
non erunt admittendi ; sed cùm eis agetur ,
quasi cum excommunicatis , & nominati de-
nuntiantur .

CAPUT VI.

In quo referuntur variae excommunicationes.

NO T A. Excommunicatio alia est reservata, alia non reservata. Excommunicatio non reservata est ea, à quâ potest absolvere quilibet Sacerdos approbatus. Excommunicatio reservata est illa, à quâ omnis Confessarius non potest absolvere. Excommunicatio reservata, alia est reservata summo Pontifici, alia Episcopis. Utraque reservatio aliquando fit jure communâ, aliquando jure speciali; aliter in Galliâ, aliter in aliis Regnis, quo nihil difficilius in praxi. Ideò hîc memorabo. 1. Excommunicationes reservatas summo Pontifici juxta jus commune Gallorum. 2º. Excommunicationes reservatas Episcopis, juxta idem jus Gallorum. 3º. Quasi Historicè potius quam dogmaticè recensabo varias excommunicationes reservatas tum Papæ, tum Episcopis juxta jus aliarum nationum. Tandem percurrent omnes excommunicationes etiam non reservatas. Opus quidem immensum, nec magnæ necessitatis; cum sufficiat in Galliâ eas scire excommunicationes, quæ apud nos Gallos vigorem habent, & alias tantum cursim pertingere. Sed oportunum judicavi, eas omnes excommunicationes hîc colligere. 1º. Ut quæ sparsæ in diversis libris reperiuntur, quasi uno ictu oculi videantur. 2º. Ut sciamus, quæ sint Gallicane Ecclesiæ libertates, quæ tot Censuris non sub-

jicitur; quæquè juxta Canones antiquos potius quam recentiores disciplinam suam instituit.

3^o. Demum ut eam, ut ita dicam, censuratum historiam incrementum & decrementum non ignoremus: quod viros Ecclesiasticos maximè dedecret; cum cognitio Censurarum maximam juris Canonici partem constituat. Ut autem promptius distinguamus eas, quæ vim habent apud Gallos, ab his, quæ apud nos vigorem non habent, excommunicationes apud nos receptas caractere italicō, ut dicunt, scribam; alias verò caractere vulgari. Priores memorie levandæ causā certis versibus comprehendam, minimè verò alias posteriores.

ARTICULUS I.

*De Excommunicationibus reservatis in Gallo.
summo Ponitisi juxta Cabassium, commu-
niter recepimus.*

1^o. **G**ravis aut mediocris percussio clericū & Monachi publicè nota, sicut & violētia publicè nota facta per virum. Canone si quis suadente. Causā 17. q. 4. Nam si percussio sit occulta, vel levis, vel facta à muliere, reservatur ejus absolutio non Papæ, sed Episcopis. 2^o. *Simonia realis, & confidentia similièr realis manifesta*; nam si simonia, vel confidentia sit occulta, non reservatur Papæ, sed Episcopo. Extravag. 2. cum detestabile de simoniā. 3. *Incendii crimen ex deliberata malitia*, post Ecclesiasticam denunciationem. Canone. Pessimam. Causā 23. q. 8. & cap. Tua n. Extra. De Sentent. excomm. Nam ante

denunciationem Ecclesiasticam non reservatur Papæ, sed Episcopo. 4°. Rapina rerum Ecclesiæ, cum effractione portarum, post denunciationem Ecclesiasticam. cap. Conquesti. Extra: De Sentent. excommunicationis. Nam ante denunciationem publicam reservatur non Papæ, sed Episcopo. 5°: *Falsificatio Bullarum Apostolicarum.*

Memoriæ levandæ causâ eadem excommunications duobus carminibus comprehenduntur.

*Ictor atrox cleri, fur frangens ostia templi,
Falsificans Bullas, & Simon, & ustor, aperti.*

ARTICULUS II.

Reservantur Excommunications reservatæ Episcopis in Galliâ, juxta eundem Cabassutum.

1°. *L*evis Clerici percussio; vel etiam gravis, si sit facta per mulierem. 2°. Incendium non denuntiatum. 3°. Rapina in Ecclesiâ, cum effractione portarum, modò non denunciata. 4°. Crimen hæresis. 5°. Duellum executioni mandatum. 6°. Violatio clausuræ regularis. 7°. Procuratio abortus fœtus animati, cum effectu. 8°. Excommunications particulares reservatæ & late à quolibet Episcopo, juxta utilitatem suæ Ecclesiæ.

Memoriæ levandæ causâ eadem excommunications tribus carminibus comprehenduntur

*Percutiens leviter clerum, consorsque duelli,
Clam Simon, clam urens, clam frangens ostia templi,
Hæreticus, claustrî violator, & anibor aborsus,*

ARTICULUS III.

*Histoyicè referuntur excommunications, quæ
Papæ reservantur juxta Bullam IN COENA
DOMINI. Quæ tamen Bulla non recipitur
in Galliâ.*

1. Excommunicantur Hæretici, Schismatici & eorum fautores.
- 2°. Appellantes ad futurum Concilium.
- 3°. Pyrator, & illorum fautores.
- 4°. Suscipientes naufragantium bona.
- 5°. Imponentes novas gabellas.
- 6°. Falsarii litteratam Apostolicarum.
- 7°. Diferentes arma Turcis.
- 8°. Impedientes eos, qui necessaria Romam vehunt.
9. Lædentes eos, qui veniunt in urbem Romam, vel qui ab eâ recedunt, vel qui in illâ commotantur.
- 10°. Malè tractantes Peregrinos & Romipetas.
- 11°. Offendentes Cardinales, & alios Prælatos.
- 12°. Offendentes eos, qui recurrent ad Romanam curiam.
- 13°. Appellantes ab Ecclesiastico foro, ad Laïcam potestatem.
- 14°. Impedientes executionem litterarum Apostolicarum.
- 15°. Judices sœculares, Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahentes.
- 16°. Impedientes jurisdictionem Prælatorum.
- 17°. Usurpantes, vel sequestrantes fructus Ecclesiasticos.
- 18°. Imponentes gravamen personis Ecclesiasticis.
- 19°. Judices sœculares de Clericorum criminibus cognoscentes.
- 20°. Occupantes bona sedis Apostolicæ.

ARTICULUS IV.

Reservuntur Excommunicationes reservatae summa
Pontifici extra bullam Cœnæ.

1. **P**ercutientes Clericos, Monachos, & vio-
lentiam ipsis facientes. Canone. Si quis
suadente diabolo &c. 2º. Clerici sponte &
scienter ecommunicantes in divinis cum ex-
communicatis à Papâ. cap. significavit. Extra
de Sentent. Excomm. 3º. Incendiarii post pu-
blicam denuntiationem. cap. Tua nos. De Sen-
tent. Excomm. 4º. Spoliantes Ecclesiastis, cum
effractione portarum cap. conquesti. Extra. De
Sent. excomm. 5º. Erigentes in Senatorem,
Rectorem, Officialem Regem urbis Romanae,
cap. Fundamenta. De Electione in 6. 6º.
Gravantes in personâ, vel in bonis propriis
cos, qui infligunt Censuras Ecclesiasticas. cap.
Quicumque. De Sent. excomm. in 6. 7º. In-
quisitores omittentes, vel committentes ali-
quid circâ suum Officium. In Clementinâ
Adolentes de excessibus prælatorum. 8º. Re-
ligiosi, qui absque licentiâ Parrochi, quæ-
dam Sacmenta conserunt, vel qui alia mu-
nera, ipsis non convenientia, exercent, &
Religiosi, qui inducunt juramento, vel voto,
ad sepultutam, apud ipsos eligendam. In
Clementinâ *Cupientes*. 9º. Domini Tempo-
rales, cogentes aliquem celebrare in loco in-
terdicto. Clementina. Gravis. De Sentent.
excomm. 10º. Exenterantes mortuos, ut in
alio loco sepeliantur, Extravaganti. Detestanda
De sepulturâ. 11º. Dantes, & recipientes tem-
porijan;

poralia, ratione Professionis faciende. Extravaganti sanè. De Simonia. 11°. Committentes Simoniam, & mediatores. Extravaganti. Cum detestabile. De Simonia. 13°. Regulares mendicantes, transiuentes ad aliam Religionem, exceptâ Religione Carthusianorum, sine licentiâ. Extravaganti. Viam ambitorum. De regularibus transiuntibus ad religionem. 14°. Affirmantes peccare eos, qui sentiunt Beatam Virginem Mariam Conceptam sine peccato originali, vel cum peccato originali. Extravaganti, Grave nimis. 15°. Dantes, vel promittentes aliquid, in Romana Curia, in negotiis gratiae & justitiae. Extravaganti, Extomunicamus De sentent. Excommunicationis. 16°. Cardinales procurantes contravenire, sede Apostolicâ vacante, Dispositioni Julii secundi, latè contrà committentes simoniam in electione summi Pontificis. Extravaganti Iulii secundi. 17°. Procurantes in detrimentum Ecclesiarum fieri alienationes. Extravaganti. Ambitorum cupiditati. De rebus Eccles. non alienandis. 18°. Prædicantes Evangelia contrà sensum Doctorum approbatorum. Extravaganti 15a. Leonis X. 19°. Accedentes ad Sepulchrum Domini sine licentiâ Papæ. Antoninus 3a. Parte Titulo 24. cap. 30. 20°. Ministri Cameræ Apostolicæ, non reddentes fideliter rationem suæ administrationis. Extravaganti 46. Pauli 3. 21°. Tractantes de futuro Pontifice eligendo, vivente Papâ. Extravaganti 82. Clementis 8. 22°. Facientes escommissas, Gallicè, des Gageures, super vitâ, vel morte, vel futurâ vacatione summi Pontificis. Extravaganti Gregorii 14. 23°.

Pugnantes in Duello. Extravaganti. 82. Clementis octavi. 24°. Provisi de Beneficiis Curatis, non deservientes personaliter in suis Ecclesiis. Extravaganti 87. Pii IV. 25°. Recipientes, vel retinentes Beneficia Ecclesiastica, in confidentiam. Constitutione Pii IV. & Pii V. 87. 26°. Officiales Sacræ Pœnitentiarie, aliquid accipientes, etiam à sponte dantibus. Constitutione Pii V. 85. 27°. Moniales exeuntes de clausurā; absque licentiā. Constitutione Pii V. 28°. Fœminæ ingredientes claustra Monialium. Constitutione. 22. Pii V. Quam constitutionem Gregorius XIII. extendit ad fœminas ingredientes claustra virorum regularium, nec non ad homines ingredientes claustra Monialium, etiam cum licentiā Episcopi, nisi in casu necessitatis, eandemque constitutionem extendit ad Prælatos 29°. Accipientes aliquid ex fructibus Beneficii vacantis primi vel ulterioris anni. Extravaganti 2. Joannis XXII. De Electione. 30°. Publicantes indicem casuum cum Indulgentiā concessā cuicunque solventi certam pecuniam. Constitutione 99. Pii V. 31°. Retinentes in servitute Christianos apud infideles. Constit. 56. Pii V. 32. Jurantes & jurare facientes noxia Ecclesiasticæ libertati. Constitutione 113. Gregorii XIII. 33°. Admittentes resignationem Beneficiorum extra casus in jure expressos. Constitutione. 58. Pii V.

ARTICULUS V.

*Referuntur Excommunicationes aliquæ contra
Laicos nulli reservatae. Laici qui hic subjiciuntur, excommunicantur.*

1. **O**fficiales requisiti à viris Ecclesiasticis, si negligentes non correxerint. Canone, *Administratores*, causâ 23. q. 5.
- 2º. Sæculares, imponentes onera personis & bonis Ecclesiasticis. Cap. *Non minus*. De immunitate Eccles. 3º. Statuentes contra libertatem Ecclesiasticam. Cap. *Noverint*. Extra de Sentent. excomm. 4º. Domini Temporales, non servantes ea, quæ præcipiuntur in electione faciendâ. Cap. *Vbi periculum*. de electione in 6. 5º. Vexantes eos, qui noluerunt eligere personas Ecclesiasticas, pro quibus fuerunt rogati. Cap. *Sciant*. De Electione in 6. 6º. Ecclesiastica bona usurpantes. Cap. *Generali*. De Electione in 6. 7º. Extortientes per vim, absolutionem Censuræ. Cap. 1º. *De his, quæ vi, metu&ve causâ fiunt*. in 6º.
- 8º. Compellentes personas Ecclesiasticas ad submittendum eis jura Ecclesiastica. cap. *Hoc consultissimo*. De rebus Ecclesiæ non alienandæ in 6º. 9º. Domini Temporales, impedientes ne eorum subditi cum personis Ecclesiasticis contrahant. Cap. *Eos*. De immunitate Ecclesiasticâ in 6. 10º. Domini Temporales, non parentes thronis officialibus. Cap. *Ut inquisitionis*. De hæreticis. in 6º. 11º. Assassini. Cap. *Pro humano*. De homicidio. in 6º. 12. Concedentes represalias, adversus personas Eccles.

Sij

208 MORALIS CHRISTIANÆ
Ecclesiasticas. Cap. 1^o. De injuriis. 13^o. Inquisitores extorquentes pecunias ab inquisitis, & confiscantes bona Ecclesiastica pro delicto. Clementinā. Nolentes. De hæreticis. 14^o. Cogenentes ad contrahendum non liberè matrimonium. Tid. sess. 24. cap. 9. 15^o. Magistratus seculares non præbentes auxilium Episcopia ad conservationem clausuræ Monialium. Tid. Clementinum. sess. 25. cap. 5.

ARTICULUS VI.

Referuntur Excommunicationes nemini reservatae, contrà Laicos & Clericos seculares, & Regulares.

I. **N**untius scripturam mittens ex Conclavi, vel loquens ex secreto ex Conclavi, extra Conclave. Cap. *Vbi periculum*. De electione in 6. 2^o. Deputati, non abstinentes ab iis, per quæ inter moniales in Electione earum superioris possit orihi discordia, vel orta soveri. Cap. *Indemnitatibus*. De electione in 6. 3^o. Magistri scientes, retinentes, aut docentes Religiosos in suis scholis legum, vel medicinæ, sine proprio habitu. Cap. *Vt periculosa*, ne Clerici vel Monachi. In 6. 4^o. Sepelientes hæreticos, vel eorum fautores in loco sacro. Cap. *Quicumque*: De hæreticis in 6. 5^o. Sepelientes in loco sacro, vel tempore interdicti, vel publicè excommunicatos, vel interdictos, vel usurarios. Clementinā 1a. De sepulturā. 6^o. Impedientes visitationem monialium. In Clementinā. Attendentes de statu Monachorum. 7^o. Contrahentes matrimonium

in gradibus prohibitis, vel contrahentes cum Professis, vel in sacrís. Clementinā unicā. *De consanguinitate & affinitate.* 8°. Impugnantes litteras Papæ, ante suam coronationem confessas. Extravaganti. *Quia non nulli.* De Sententiā Excommunicationis. 9°. Retinente nomen Vicarii Imperatoris, Imperio vacante. Extravaganti Joannis xxii. *Si fratrum Sede vacante, &c.* 10°. Interpretantes Concilium Tridentinum sine licentiā sedis Apostolicæ. Extravaganti Pii iv. *Quæ incipit.* Benedictus Deus. 11°. Permittentes agitationem Taurorum, & Clerici spectantes. Extravaganti Pii v. *Quæ incipit. De salute Gregis.* Greg. 13. Substulit has peñas contra Iaicos. 12°. Mulierum raptores, & eorum fautores. Tridentinum. sess. 24. cap. 6. De reform. 13°. Cogentes mulierem ad ingredieudam Religionem & eorum fautores. Tridentin. sess. 25. cap. 18. De Regularibus. 14°. Imprimentes libros sine licentiā. Lateranense. sess. 10, & Tridentin. sess. 8. 15°. Afferentes non esse necessarium habentia copiam confessarii, confiteri mortalia ante Eucharistiae sumptionem. Tridentin. sess. 13. Canone xi.



CAPUT VI.

De Suspensione.

ARTICULUS I.

De Causis Suspensionis.

CAUSA efficiens suspensionis est superior,
qui potest excommunicare, & suspendere.
Causa materialis & remota est subjectum ca-
pax suspensionis, nimirum Clericus. Causa
materialis proxima est peccatum, propter
quod infligitur suspensio. Causa finalis est
Clericorum reformatio, & salus animarum.

ARTICULUS II.

*De Regulis, quibus discerni potest, qualis sit
suspensio.*

Regula prima generalis. Talis est suspensio,
qualis exprimitur per verba, quibus in-
fligitur; quia juxta vulgare dictum, Canoni-
starum. Verba bullarum tantum valent, qua-
rum sonant: ex quo principio eruuntur se-
quentes particulares regulæ.

Regula prima particularis. Suspensio simpli-
citer intelligitur de suspensione absolutâ, to-
tali, & perpetuâ; quia propositio indefinita
æquivaler universali. cap. Cupientes de Elec-
zione in 6°. Hinc colliges, quod:

3°. Si Judex, si Canon, dicant. *Suspendimus;*

Clericus remanet omnino suspensus : si sit Episcopus , nullum potest Episcopale munus exercere , nec munus Sacerdotale , nec ministerium Clericale : si sit Parrochus , nullum poterit munus Parrochiale obire : si sit Sacerdos præfulgens aliquâ Dignitate , ullum suæ dignitatis officium præstare nequit. 2º Suspensus à beneficio simpliciter , est suspensus ab omni beneficio , & impeditur à receptione beneficij ; quia propositio indefinita aquivaleat universalis.

Regula 2a. Suspensio ab ordine extendit se tantum ad ea , que sunt ordinis ; quia propositio limitata restringit , & coarctat sensum intra limites suæ expressionis. *Hinc colliges , quod.*

1º. Si canonici si Judex , dicant . *Suspendimus ab ordine* ; remanet potestas contentiose jurisdictionis in eo , qui suspenditur ; quia iurisdictio contentiosa non fundatur in ordine ; sed non remanet potestas jurisdictionis interioris ; quia haec fundatur in ordine. Sic Episcopus suspensus ab ordine , non poterit quidem ordines conferre , sed poterit jurisdictionem exteriorem exercere , v. g. conferre beneficia , excommunicare , &c.

Regula 3a. Suspensio à determinato ordine se extendit ad illum ordinem præcisè , quem exprimit , & non ad illum ordinem , quem supposuit ; quia propositio limitata coarctat sensum , juxta terminos verborum , quibus exprimitur. *Hinc colliges , quod.*

1º. Suspensus ab Episcopali ordine determinato non potest exercere actus proprios Episcopo , bene tamèn actus proprios Sacer-

doti. v. g. Nequit ordines celebrare , bene
tamen Missæ potest Sacrificium offerre. 2^o.
Sacerdos suspensus ab Ordine sacerdotali , non
potest exercere actus Sacerdotis , potest tamen
officium Diaconi obire.

Regula 4a. suspensio ab officio se extendit
ad omnem potestatem Ecclesiasticam ; quia
officium est nomen universale , inquit Glocca.
Hinc inferes , quod.

*Si Canon dicat , suspendimus ab Officio ; Cle-
ricus runc suspenditur ab ordine , & beneficio,
quod habet ; ità ut non possit exercere ordi-
nem , quem habet , nec superiorem recipere;
non valet uti Privilegiis beneficij , quod ob-
tinet , nec potest novum beneficium recipere.*

Regula 5a. Suspensio ab ingressu Ecclesiae se
extendit nedum ad ingressum Ecclesie , sed
etiam ad exercitium divinorum.

Regula 6a. Suspensio ab Administratione Ec-
clesie seu beneficij , in temporalibus , seu in
spiritualibus , non se extendit ad exercitium
ordinis ; & ità Episcopus , Parrochus , suspen-
sus ab administratione sui Beneficij , potest
Missam celebrare.

ARTICULUS III.

De Effectibus suspensionis.

Primus suspensionis effectus est incurtere
peccatum lethale ; quoties exercetur ac-
tus , à quo Clericus est suspensus ; quia
inobedientia est in materiâ gravi & ità
suspensus à celebratione Missæ , celebrans
Missam , peccat lethaliter ; suspensus ab in-

gressu Ecclesiae , ingrediens Ecclesiam , peccat mortaliter. Secundus effectus suspensionis est incidere in irregularitatem , quando suspensus ab ordine exercet actum ordinis , à quo suspensus est. Cap. *Cum aeterni.* De Sententiâ & re judicata in 6°. & sic Episcopus suspensus ab ordine Episcopali sit irregularis , si conferat ordines , minimè vero , si approbat confessarium , si Prædicet , si confexit beneficium ; quia illa non sunt ministeria ordinis Episcopalis.. Sic Sacerdos suspensus ab ordine Sacerdotali , sit irregularis , si Missam celebret ; minimè vero si baptiseret non solemniter , si Prædicet , si recipiat Eucharistiam ; quia illa non sunt munera Ordinis sacerdotalis. Suspensus à Jurisdictione , ab ingressu Ecclesiae , &c. Peccat mortaliter , si id faciat , à quo suspensus est ; sed non incurrit irregularitatem. Tertias effectus suspensionis est exclusio ab aliorum Communione ; ita ut peccet suspensus , & peccant pariter , qui cum suspensi manifeste & denuntiato communicant. Sic Sacerdos suspensus à celebratione Missæ , peccat lethaliter , si Missam celebret ; licet sit suspensus occultus ; peccant quoquè mortali- tè adstantes Missæ Sacerdotis suspensi , de- nuntiati. Quartus effectus suspensionis ab of- ficio est , quod suspensus nec eligere , nec eli- gi possit ad beneficium. Unde collatio bene- ficii est nulla in favorem suspensi ab officio ; est nulla pariter , si suspensus faciat illam in favorem alterius. Quintus effectus suspensionis à beneficio est , quod suspensus à benefi- cio nullos possit recipere fructus beneficij ; & si recipiat , peccet mortaliter & teneatur ad

274 MORALIS CHRISTIANA.
restitutionem. potest tamèn hujusmodi fructus recipere , si sint ad vitam sustentandam necessarii, & per eum non stet , quominus absolvatur ; ut notat Glossa super caput *Pastoralis* § verum. Sextus effectus suspensionis à beneficio est , quod suspensus à beneficio non possit novum beneficium recipere ; ut colligitur ex cap. *Per inquisitionem.* Extra de *Electione.* cap. *De sublatione suspensionis.*

ARTICULUS IV.

Quomodo tollatur suspensio.

Suspensio lata ad tempus tollitur , finito tempore suspensionis , sine novâ dispensatione. Suspensio lata sub hac formâ , donec resipiscat , tollitur per solam Pœnitentiâ suspensi. Suspensio à canone tollitur ab Episcopo , nisi esset Papæ reservata. Ita inquit , cap. *Nuper.* Extra de *Sententia excommunicationis.* Cur autem excommunicatio lata à canone , & non reservata , possit tolli à quolibet Sacerdote approbato , ad excipiendas fidelium confessiones , minimè vero suspensio , est , quia major est necessitas absolvendi excommunicatum , quam dispensandi suspensum ; quia excommunicatio privat bonis spiritualibus Ecclesie , minimè vero suspensio. Suspensio reservata summo Pontifici , tollitur per summum Pontificem. Suspensio lata ab homine , v. g. ab Episcopo , ab Abbatे , tollitur ab eo , à quo profecta est , nisi lata esset ob legis violationem , quæ importaret suspensionem. Suspensio lata à jure in pœnam delici-

si, sive perpetua, sive ad certum tempus tollitur à solo Authore Canonis ante elapsum tempus: ab eo solo quoque tollitur, si publica sit, vel lata ad forum contentiosum; quia, ut inquit D. Thomas, inferior non habet potestatem absolvendi reum à poenâ, contra violationem legis à superiore constitutâ; & ita Episcopus nequit absolvere Clericum suspensum ob crimen publicum, si suspensio lata sit à canone; bene tamè potest illum absolvere, si suspensio sit lata ab ipsomet Episcopo.

ARTICULUS V.

Referuntur suspensiones late contra Clericos propter illicitam ordinis receptionem.

SUSPENDUNTUR. 1º. Ordinati in sacris ab Episcopo alieno sine litteris dimissoriis proprii Episcopi: ita Tridentinum sess. 23. cap 9. Navarrus docet, quod si Clericus per triennium fuerit familiaris Episcopi extranei, potest ab eo ordinari citra suspensionem. Eripe casus in quibus de jure adiri potest alienus Episcopus sine licentiâ ordinarii; v. g. Si proprius Episcopus sit suspensus èo quòd alienos ordinaverit absque licentiâ suorum Episcoporum; modò illa suspensio sit manifesta. docet constitutio Gregorii 9. in Concil. Lugdun. 2. can. 15. 2º. Ordinati in sacris, non arcatri beneficio Ecclesiastico intrâ annum, sede Episcopali vacante, etiàm cum licentiâ Capituli. Tridentinum sess. 7. cap. 10. 3º. Ordinati in alienâ Diœcesi à proprio Episcopo sine licentiâ Episcopi loci. Tridentinum sess.

216 MORALIS CHRISTIANA

6. cap. 5. 4^o. Ordinati ante legitimam etatem. Extravaganti 6^a. Pii 2ⁱ. Hæc Bulla limitatur ad sacros Ordines solum à Clemente, 8. per Bullam, quæ incipit *Romanum Pontificem*: Ætas autem legitima Ordinandorum describitur in Tridentino sess. 23. cap. 12. 5^o. Ordinati in sacris sine titulo. Tridentinum sess. 21. cap. 2. 6^o. Ordinati in sacris extrâ tempora à jure statuta. Id videtur innuere cap. *De eo eum*. Extra , de tempore ordinandorum. 7^o. Recipientes eâdem die duos Ordines sacros sine dispensatione. Cap. *Litteras*. De tempore Ordinandorum. 8^o. Recipientes Ordines sacros in duobus diebus immediatis. Cap. *Litteras*. De tempore Ordinandorum. 9^o. Recipientes eâdem die Subdiaconatum , & aliquem ex quatuor minoribus Ordinibus. cap. *Unico*. De eo , qui furtivè Ordines suscepit. 10^o. Ordinati per saltum. cap. *Unico*. De Clerico per saltum Ordinato. 11^o. Promoti ad sacros Ordines post matrimonium ratum , licet non consummatum sine dissolutione matrimonii. Extravaganti Joan 21. Antiquè de voto ordinati ; omisso aliquo substantiali. Glossa ubi de Sacramentis. 12^o. Clerici Doctrinæ Christianæ , qui , etiam si titulum habeant , sine licentiâ Præpositi Generalis , vel Provincialis ordinantur. Ita habet Bulla Clementis X. quæ incipit , *Ad perpetuam rei memoriam*.

ARTICULUS VI.

Referuntur suspensiones latæ contra Clericos propter illicitum exercitium Ordinis suscepiti.

Suspenduntur qui h̄ic subjiciuntur. 1°. Clerici celebrantes, vel celebrare facientes in loco interdicto. Cap. Episcoporum. De privilegiis in 6°. 2°. Spelientes in Cœmeterio, benedicto ab Ecclesiâ, usurarium Publicum. Cap. Quia in omnibus. Exita de usuris. 3°. Sacerdos, qui in eohato canone, sine causâ omittit incompletam Missam. Canone. Nullus. De Consecratione. Distinctione priuâ. 4°. Celebrans Missam, & non se communicans. Canone Relatum. De Consecratione. Dist. 2. 5°. Benedicens secundas nuptias. Cap. Capellarum. De secundis nuptiis. 6°. Conjungentes, vel benedicentes sponsos alterius Parochiæ. Tridentinum. sess. 24. cap. 1.

ARTICULUS VII.

Referuntur suspensiones latæ contra Clericos, ratione Beneficiariorum.

Suspenduntur, qui h̄ic subjiciuntur. 1°. Clericus non prædictus ætate, natalibus, & moribus ad Ecclesiasticas dignitates requisitis. Cap. Cum in cunctis. De electione. 2°. Non præsentantes Electionem electo, postquam commode potuerunt. Cap. Cupientes. De Electione in 6°. 3°. Objiciens electo & in probatione deficiens. Cap. Statuimus. De electione in 6°.

4°. Gravantes Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis Cap. *Si quorundam De solutionibus.* 5°. Prælati submittentes suas Ecclesias Laicis. Cap. *Hoc consultissimo.* De rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6°. 6°. Clerici usurpantes bona Ecclesiastica, vel usurpationi consentientes. Tridentinum. sess. 21. Cap. 11. 7°. Præsumentes consentire electioni de se factæ per potestatis sæcularis abusum. Cap. *Quisquis.* Extra de electione.

ARTICULUS VIII.

Referuntur suspensiones latæ contrà Clericos, et variis defectibus.

SUSPENDUNTUR 1°. Clerici involventes Laiicos mortuos vestimentis sacris. Canone. *Nemo per ignorantiam.* De Consecratione. 2°. Pauciscentes, ut occasione Ordinis collati sine titulo, non petantur alimenta. Tridentinum sess. 21. Cap. 2°. De reformatione. 3°. Refellentes alteram contradictionis partem circà Conceptionem B. Mariæ Virginis & Matris. Tridentinum sess. 5. De Peccato originali in fine 4°. Notorii fornicarii celebrantes post Ecclesiasticam monitionem. Tridentinum sess. De reformatione. Cap. 14. 5°. Visitatores Episcopis inferiores, recipientes aliquid præter victualia à visitatis, nisi ad sit consuetudo contraria. Tridentinum. sess. 24. cap. 3. Ubi renovat quod fuerat in Concilio Lugdunensi statutum. 6°. Personæ Ecclesiæ

sticæ portantes publicè vestes , non decentes ordinem eorum. Clementinâ 2. De vitâ & honestate Clericorum. 7^o. Clerici provocantes , vel acceptantes duellum. Constitutione Clementis 9. quæ incipit. *Illiis vices.*

ARTICULUS IX.

Referuntur suspensiones contra Clericos & Prelatos majores.

Nota quod Episcopi non censeatur suspensi , nisi expressè includantur in suspensionibus latis tūm à jure , tūm ab homine .

§. I.

Suspensiones ex parte promotionis ad Episcopatum.

Suspenduntur , qui h̄c subjiciuntur 1^o. Fratres ordinis Prædicatorum , & omnes alii Religiosi , qui , promoti ad Episcopatum , non reddunt libros ordinis . S. Antoninus 3. parte tit. 27. 2^o: Archiepiscopi non consecrati ab omnibus suis suffraganeis , & Episcopi consecrati sine consensu Metropolitanus : sed ex Praxi utraque h̄ec suspensio non viget .

§. II.

Ex parte collationis Ordinum.

Qui h̄c subjiciuntur , suspenduntur 1^o. Episcopi ordinantes alienos Clericos sine Tij

Dimissoriis sui Ordinarii. Trident. sess. 23.
cap. 8. 2^o. Episcopi exercentes Pontificalia in
alieno territorio , nisi de expressâ licentia or-
dinarii. Tridentinum. sess. 6. De Reformat.
Cap. 5. & sess. 14. Cap. 2. Nota quod hæc
suspensio est tantum suspensio à Pontificali-
bus. 3^o. Episcopi ordinantes indignum Sa-
cerdotem. Canone. *Si qui Episcopi, causâ 1. q.*
1. 4^o. Episcopi conferentes primam tonsuram,
illiterato , aut conjugato ; nisi cum condicio-
nibus explicatis capite. *Nullus.* De tempore
Ordinandorum. in 6^o. 5^o. Episcopi eadem die,
vel duobus , vel tribus diebus continuatis
conferentes eidem Clerico duos , aut tres Or-
dines sacros. Colligitur ex Tridentin. sess. 13.
cap. 13. 6^o. Episcopi ordinantes eum , qui so-
lemni Pœnitentiæ addictus fuit , vel confe-
rentes ordinem bigamo. Canone. *Nullus pro-*
mittentem dist. 55. 7^o. Episcopi ordinantes in
sacris Religiosum non Professum sine titulo,
vel alium sacerdotalem , sine titulo , suspen-
duntur. Tridentinum. sess. 21. cap. 2. 8^o. Epis-
copi ordinantes , acceptâ ab ordinato promis-
sione , quod non molestabunt super ejus Pro-
visione. Cap. *Si quis ordinaverit.* De simonia.
9^o. Episcopi ordinantes invitatos præter ju-
ris ordinem. Canone 1. & 2. dictinct. 74. 10^o;
Ordinantes Regularem sine licentia Superio-
ris. Canone ultimo. dist. 58.

S. III.

*Suspensiones Ratione Collationis Beneficiorum ;
aut eorum fructuum.*

Qui hic subjiciuntur , suspenduntur. 1º. Conferentes Beneficia indignis. Tridentinum. sess. 7. cap. 3. 2º. Episcopi percipientes preventus dignitatis , quæ adhuc vacat , cuius dignitatis ad ipsos spectat Collatio. Cap. Ultimo. De Officio Ordinarii. In 6.

S. IV.

*Referuntur suspensiones quæ ratione diversorum
defectuum incurruunt ab Episcopis:*

Qui hic subjiciuntur suspenduntur 1º. Episcopi cognoscentes carnaliter post Episcopatum , illam , quam ante Episcopatum cognoverunt . . Suspensione est ferenda Sententia ante monitionem , latæ Sententia post monitionem. Tridentinum. sess. 25. cap. 14. 2º. Episcopi relaxantes pœnam incendiariis. Canone. Pessimam. Causâ 23. q. 8. 3º. Episcopi negligentes procedere contrà Simoniacos. Canone. Quid quid. Causâ primâ. q. 12. 4º. Episcopi locantes , vel locari permettentes domos ad exercendas usuras. cap. 1º. De usurariis. In. 6. 5º. Episcopi perseverantes per sex menses in interdicto in eos lato ob alienationem bonorum Ecclesiæ , inconsulto Papâ. Extravaganti. Ambitiosæ. De rebus Ecclesiasticis non alienandis. 6º. Episcopi admis-

222 MORALIS CHRISTIANÆ.
tentes resignationem beneficiorum extrā casus in jure expressos. Constitutione. 58. Pii V.
7^o. Episcopi accedentes ad suas Ecclesias sine litteris Apostolicis. Extravagantia. De Elec-
tione.

CAPUT VIII.

De Interdicto.

INTERDICTUM est Censura Ecclesiastica, quā certis personis, locisve interdicitur & prohibetur Ecclesiastica sepultura, divinorum Officiorum celebratio & publica Sacramentorum administratio, quæ ad nascentium vel morientium salutem necessaria non sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Attionibus Sacris, quæ fieri nequeunt, stante interdicto.

PROPOSITIO Unica. Interdictum importat privationem Sacramentorum, divinorum Officiorum & Ecclesiasticæ sepulturæ.

Probatur. cap. Ex rescripto, extra de jure jurando, ubi violatores promissi interdicto puniuntur; quā poenâ privantur Divinis Officiis & Sacramentorum participatione. 2^o. Interdictum est Censura, quā fideles, maximè contumaces, puniuntur: ergo non incongruè privantur ab Ecclesiâ Christi Sacramentis, Divinis Officiis, & Ecclesiasticâ sepulturâ.

consecataria hujus Doctrina.

C O N S E C T A R I U M I. Si civitas interdicatur, in eâ non possunt licetè conferri Sacra menta, nec Officia Divina celebrari, nec Ecclesiastica sepultura potest interdictis fidelibus concedi. Cap. *Si Sententia*, de Sententiâ excomm. in 6.

C O N S E C T A R I U M I I. Si cives interdicantur, non possunt alicubi Divinis intellec tibus, Sacra menta recipere, & in loco sacro sepeliri, nisi post receptam absolutionem. Cap. *Si sententia*. Ibidem.

A R T I C U L U S II.

De actionibus, quæ possunt exerceri, stante eiusdem interdicto.

P R O P O S I T I O Unica. Interdictum non vetat conferri fidelibus Sacra menta, quæ sunt ad salutem necessaria, imò nequè exercitium eorum, quæ possunt fidelium salutem promovere.

Probatur. Interdictum, ut potè Censura, debet esse in salutem fidelium, & non in eorum ruinam; si autem fidelibus subditis interdicto, dum resipiscunt, negarentur Sacra menta, absolute necessaria ad salutem, interdictum cederet, non in salutem, sed in ruinam fidelium. Ergo interdictum non vetat fieri, quæ sunt fidelium saluti absolute necessaria.

C O N S E C T A R I U M I. Tempore interdicti isthac omnia licita sunt, scilicet i^o. Præ-

dicere verbum Dei , modò nullum celebretur Officium 2°. Baptismum administrare ; quia Baptismus est Sacramentum necessitatis. 3°. Confirmationem administrare ; quia confirmatione est Sacramentum , sine quo baptisatus non est planè Christianus. 4°. Pœnitentiā morientibus ; quia est Sacramentum necessitatis... Hæc omnia constant , ex cap. Responso , extra de Sentent. excomm.

C O N S E C T A R I U M II. Licet insuper , tempore interdicti , isthæc etiam solemniter præstare. 1°. In die cœnæ christina confidere , veteri combusto ; quia chrisma est necessarium ad collationem baptismatis , & confirmationis ; & non licet uti veteri chrismate. Cap. *Quoniam.* De Sentent. excomm. in 6. 2° Viaticum morituris conferre ; quia est Sacramentum necessitatis. Cap. *Quod in te,* extra de Pœnitentiâ & remissionibus.

C O N S E C T A R I U M III. Licet præterea tempore interdicti , isthæc peragere. 1°. Administrare pœnitentiā extrâ mortis articulum quibuscumque fidelibus dispositis , exceptis his , qui causam dederunt interdicto , nisi satisfaciant , vel dent cautionem de satisfaciendo , vel jurent se satisfacturos. 2°. Si Ecclesia non sit nominatim interdicta , licet in eâ celebrare Missam & Divina Officia singulis diebus , idque submissâ voce , januis clausis , non pulsatis campanis , exclusis personis interdictis , & excommunicatis. 3°. Licet celebrare Missas & Divina Officia etiam solemniter , pulsatis campanis , admittendo personas interdictas , & excludendo excommunicatas ; & hoc istis festivitatibus , natalijs Do-

mini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Virginis, quibus Corporis Christi solemnitatem addidit Martinus sus. Quia si hæc omnia exercitia numquām fierent solemniter, cresceret indevotio populorum; & è diverso, si interdictum ita temperetur, personæ interdictæ ad humilitatis, & reconciliationis affectum inclinantur. Cap. *Alma mater.* De Sentent. excomm. in .6. Si Ecclesia sit nominatim interdicta, licet tantum unicam Missam in hebdomadâ celebrare ad Eucharistiae innovationem. 4º. Licet sepelire Clericos, qui interdictum servaverunt, eâ lege ut campanæ non pulsentur. 5º. Sacris interesse posseunt Laici, tempore interdicti, qui sunt necessarii Sacerdoti, ut decenter Officium peragat.

ARTICULUS III.

De Extensione interdicti.

PROPOSITIO Unica. Quando plura connectuntur, interdicto loco principali, locus accessorius, & contiguus censetur interdictus, sed quando plura disparatè se habent, interdicto uno, aliud non censetur interdictum.

Probatur Ratione. Accessorium sequitur naturam principalis. Ergo interdicto principali loco, locus accessorius censetur interdictus.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Interdicta civitate, suburbium censetur interdictum; quia est

216 MORALIS CHRISTIANA:
accessorium urbis: & interdicta Ecclesiâ, sa-
cellum, & cæmeteria contigua censentur in-
terdicta. Cap. Si civitas, de Sentent. Excom-
mun. in 6.

CONSECTARIUM II. Interdicta com-
munitate, singuli de communitate censentur
interdicti, itâ ut non valeant alibi sacris in-
teresse. Cap. Si Sententia, de Sentent. Excom-
mun. in 6.

CONSECTARIUM III. Interdicta
civitate & Ecclesiis matricibus, Religiosi te-
nentur servare interdictum, necnon cessatio-
nem à Divinis, suo pœnâ excommunicationis
ipso facto incurriende; quia Ecclesiæ Religio-
rum sunt quasi accessoriæ Ecclesiæ matricis.
Itâ Clemens V. Clementinâ, *ex frequentibus*,
de Sentent. Excomm.

CONSECTARIUM IV. Interdicto Clero,
populus non censetur interdictus: nec vice
versâ; quia disparatè se habent. Cap. Si sen-
tentia, de Sentent. Excomm. in 6.

CONSECTARIUM V. Interdicta civita-
te, propter delictum Rectoris aut Principis,
cives Innocentes possunt extrâ urbem sacris
interesse, & participare; quia quasi disparatè
se habent. Cap. Si Sentent. De Sententi. Ex-
comm. in 6.

ARTICULUS IV.

*De variis causis excusantibus ab
interdictione.*

¶ **I**nterdictum nulli observandum est, si
non observetur ab iis, in quorum gratiam

concessum est. Cap. *Pecatis*, extra, de Privilegiis. 2^o. Interdictum observare non tenetur is, qui vel ex privilegio Papæ exemptus est, vel ob aliam causam legitimam, v. g. quia est de familia illius, qui exemptus est; vel quia Clericus indiget Laici operæ, ut ritè munus suum peragat, Cap. *Licet*, de Privilegiis in 6.

De Peccato & Pœnis eorum, qui violent interdictum.

In excommunicationem summo Pontifici reservatam incidunt Laici, qui interdictum Ecclesiasticum violent, vel servati prohibent. Clementinâ. *Quamvis titulo*, de Sentent. excomm. 2^o. Clerici personali interdicto ligati, si illud violent exercendo actus sui Ordinis, irregularitatem incurunt; et si ab interdicti Sententiâ appellaverint. Cap. *Is cui*, de Sentent. excomm. in 6.

De his, qui possunt absolvere ab interdicto.

Ab interdicto personali nulli reservato, potest absolvere quilibet Sacerdos approbatus, & ab interdicto reservato non potest absolvere nisi is; qui illud sibi reservavit. Cap. *nuper*; quia hoc ipso quod Ecclesiâ non sibi reservavit hanc solutionem, censetur cuilibet Sacerdoti approbato facultatem absolvendi concessisse. Ab interdicto locali & communione solus Episcopus potest absolvere; quia est solus ordinarius judex.

De cessatione interdicti.

Interdictum cessat, hoc ipso quod cessat subjectum interdicti; quia destructis nobis, destruuntur ea, quae sunt in vobis. Sic destruenda civitate, cessat interdictum latum contra civitatem. Sic membrum communitatis affectum interdicto, lato contra communitatem, eximitur ab interdicto, hoc ipso quod cessat esse membrum communitatis; modò ipse non fuerit causa præcipua interdicti; quia hoc ipso quod definit esse pars communitatis, sicut non sentit commoda civitatis, ià non debet portare incommoda; sed si fuerit causa, propter quam latum est interdictum, non eximitur ab interdicto, eò quod cesseret esse membrum civitatis; quia æquum est, ut ejus contumacia perseverans sentiat pœnam, latam in communitatem. Sic per rationem oppositam, quamvis terra subjecta interdicto alienetur, non solvitur interdictum; quia interdictum est onus; onus autem terram ipsam sequitur. Cap. Ex litteris, extra de Pignoribus.

ARTICULUS V.

De Casibus, in quibus incurritur interdictum.

Generalia localia interdicta incurritur sequentibus casibus.

- 1º. Propter impedimentum datum executioni Officii legati, aut nuntii Apostolici. Extravaganti Super gentes. De consuetudine.
- 2º. Propter illatam injuriam in Episcopum quemicumque

quemcumque. Clementinā 1a. Parag. *Terræ quoque.* De Pœnis. 3^o. Propter perseverantiam per mensum in excommunicatione, vel suspensione. Cap. 1^o. *De usuris* in 6. 4^o. Propter exactiōnē Gabellæ à personis Ecclesiasticis. Cap. *Quanquam Pædagia.* De censibus in 6.

Interdicta specialia localia incurruunt sequentibus casibus.

1^o. Propter fraudulentam Clericorum inductionem ad eligendam sepulturam, vel electam non mutandam. Cap. *Animarum.* De sepulturis in 6. 2^o. Propter sepulturam Ecclesiasticam hæretico concessam. Cap. *Quicunque.* De hæreticis, in 6.

Interdicta generalia personalia incurruunt sequentibus casibus.

1^o Propter concessionem, vel extensionem repræsalarum contrà personas Ecclesiasticas, earumque bona. Cap. unico. De injuriis in 6. 2^o. Propter exactiōnē onerum sine assensu summi Pontificiis à personis Ecclesiasticis. Cap. *Clericis.* De immunitate Ecclesiistarum in 6. 3^o. Propter appellatiōnes ad futurum Concilium à Sententiis summi Pontificiis. *Bulla Cœnæ Domini.* 4^o. Propter concessionem litterarum Dimissoriarum, factam à Capitulo intrâ annum, sede vacante Tridentinum sess. 7. De reformatiōne Cap. 10. 5^o. Propter susceptionem alicujus rei, spectantis ad Ecclesias vacantes. *Extravaganti unicâ.* De sede

230 MORALIS CHRISTIANA
vacante. Parag. Si autem Capitulum. 6^o Propter tolerantiam Universitatum, non expellentium usurarios manifestos, Cap. 1^o De usuariis in 6. 7^o. Propter resistantiam divisioni facta à summo Pontifice in Episcopatu Tolosano. Extravaganti salvator. De Præbendis.

*Interdicta generalia & particularia sequentibus
incurruntur casibus.*

1^o. Propter inobservantiam dispositionis præscriptæ circà Censuras ferendas. Cap. 1^o. De Sent. excom. in 6. 2^o. Propter dignitatem Ecclesiasticam, acceptam de manu Laici. Canone. *Si quis deinceps causà 16. q. 7. 3^o.* Propter usurpationem ab Episcopo bonorum Ecclesiarum vacantium. Cap. Præsentii. De Officio ordinarii in 6. 4^o. Propter alienationem bonorum Ecclesiasticorum factam à personis Ecclesiasticis, inconsulto Romano Pontifice. Extravaganti 1a. De rebus Ecclesiasticis non alienandis. 5^o. Propter denunciationem non factam intrà tres menses à Metropolitano, vel antiquiori Suffraganeo, summo Pontifici, de Metropolitani, vel suffraganeorum absentiâ. Concilium Trident, sess. 6. De Reformatione. Cap. 3.



CAPUT IX.

De Irregularitate.

IRREGULARITAS, depositio, degrada-
tio, & cessatio à Divinis, non sunt propriæ
Censuræ; quia non sunt poenæ Medicinales;
quia tamèn habent affinitatem cum Censuris;
idèo dæ his hæc agemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit irregularitas.

IRegularitas est inhabilitas, jure Divino;
vel Ecclesiastico introducta, directè im-
pediens susceptionem Clericalis Tonsuræ,
& ordinum, & indirectè usum susceptorum;
non est Censura; quia non est poena Medi-
cinalis, ad tempus emendationis gratia impo-
sita. Irregularitas alia est iuris divini, alia
Ecclesiastica, alia totalis, alia partialis. Ir-
regularitas iuris Divini est inhabilitas ordi-
natione divina, reddens personam incapaci-
Ordinis Ecclesiastici; ejusmodi est Sexus fœ-
mineus, & baptismi defectus. Irregularitas
iuris Ecclesiastici est inhabilitas, Ordinatione
Ecclesiæ impediens directè susceptionem Ton-
suræ, & ordinum. indirectè usum suscepto-
rum; ejusmodi est esse matulatum, illegitimum.
Irregularitas totalis est inhabilitas, perpetuo
impediens Ordinis cujuscumque, suscep-
tionem, susceptique usum omnem; ejusmodi

est abscisio linguae, quæ impedit executionem omnem Officii Sacerdotalis, & aliorum. Irregularitas partialis est inhabilitas, impediens ad tempus Ordinis susceptionem, susceptivè usum aliquem. Sic pueritia est irregularitas, impediens ad tempus receptionem Ordinum. Sic mutilatio inculpabilis pollicis sibi in Sacerdote est irregularitas, impediens Sacerdotem à celebratione Missæ & non ab aliis Sacerdotii muneribus.

ARTICULUS II.

De Irregularitate ex jure divino.

PROPOSITIO I. Sexus fœmineus excluditur à receptione Ordinum, seu fœmina non potest validè recipere ordines.

Probatur 1^o. Ex Scripturâ. *Mulieres in Ecclesiâ taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit; si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe enim est mulierem loqui in Ecclesiâ.* 1^a. Ad Corinthios, Cap. 14.

2^o. Ex Praxi Ecclesiæ; nunquam enim legitur fœminas vel à Christo, vel ab Apostolis ordinatas, fuisse Christus enim solis Apostolis, & proinde viris dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Dixit pariter viris. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

3. Ratione. Primus mediator inter Deum & hominem Christus Jesus fuit vir. Ergo inferiores mediatores debent esse viri, & non mulieres. Et quamvis mulieres donum Prophetiarum acceperint, tamen non sequitur, quod

Sacerdotali dignitate possint insigniri ; quia Prophetia nullam importat Prælaturam , benè tamèn Sacerdotalis dignitas. Quod si in retroactis Ecclesiæ sœculis legatur fuisse mulieres Presbyteras , Episcopissas , Diaconissas , &c Non sequitur illas mulieres verè Sacramentaliter fuisse ordinatas , sed eo nomine vocatas esse ; vel quia aliquem actum exercebant , aliquomodo similem illis actibus , qui exercebantur ab Episcopis , & Sacerdotibus , v. g. invigilabant sicut Episcopi ; vel dicebantur Episcopissæ , Præsbyteræ , & Diaconissæ ; quia matrimonio junctæ fuerant cum Episcopis , & Sacerdotibus , & Diaconi , & post virorum Ordinationem ex mutuo sui & maritorum consensu virginitatem voverant.

P R O P O S I T I O II. *Viri non baptisati non possunt valide recipere Ordines.*

Probatur 1º. Scripturâ. *Euntes docete omnes gentes , baptisantes eos in nomine Patris . &c.* Ergo prius deber recipi baptismus , quam Sacramentum Ordinis.

2º. Ex Cáp. *Veniens , extra , de Presbytero non baptisato* ; ubi dicitur ; quod non baptisatus sit incapax Ordinis.

3º. Ratione. Baptismus est janua Sacramentorum. Ergo qui non habet Sacramentum baptismi , non potest aliud recipere.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. *Vir modò sit insignitus caractere baptismatis , potest valide recipere Ordines quoscumque in quâcumque statu. Sic non confirmatus validè potest*

recipere Ordines; idè si ordinetur, non est reordinandus; quia solus character baptismatis, èd quod sit janua Sacramentorum, requiritur ad validam ordinationem; nam Apostoli facti fuerunt Sacerdotes die cœnæ, antequam confirmarentur; quippe fuerunt confirmati die Pentecostes.

Sic infans ante usum rationis, vel perpetuè amens, modò sit baptisatus, si recipiat ordinem, validè ordinatur; quia character baptismatis solum necessariò requiritur; deinde Sacramentum imprimens characterem, producit effectum independenter à dispositione subjecti. Tamè infans, vel amens non potest recipere jurisdictionem Sacerdotalem, vel Episcopalem; quia potestas jurisdictionis, ut potè exercita per actum judicii, supponit usum rationis in recipiente & exerceente; & propter eandem rationem, infans, vel amens non potest consecrari validè consecratione Papali, seu fieri Papa; quia Supremus Pontifex debet influere per influxum judicii, dirigendo totam Ecclesiam; quod judicium non potest supponi in infante, vel amante. Sic si aliquis ordinetur contrà præcepta Ecclesiæ, v. g. Carente scientiâ, moribus bonis, etate competente, innodatus Censuris, &c. Validè ordinatur, quamvis non licet; quia solus character baptismi requiritur ad validitatem ordinis, & virtualis consensus in adultis.

C O N S E C T A R I U M I I. Quicumque ordinatur non baptisatus, est iterum ordinandus; quia baptismus est janua ad alia Sacramenta. Ideo Lectores, qui juxta Socratem, indiscriminatim sumebantur, vel ex fidelibus,

vel ex Catechumenis , non erant validè ordinati , sed gradum tantum quemdam exteriorem in Ecclesiâ recipiebant.

ARTICULUS III.

De Irregularitate ex Jure Ecclesiastico.

IRregularitas ex jure Ecclesiastico est duplex , alia ex defectu , alia ex delicto.

Probatur rationale . Totuplex est irregularitas ex jure Ecclesiastico , quotuplex est inhabilitas ad recipiendos Ordines , inducta solâ autoritate Ecclesiae . Atqui est duplex inhabilitas ad Ordines , inducta autoritate Ecclesiae . Ergo & duplex irregularitas . Minor patet ; nam in nobis tantum duplex potest concipi inhabilitas ad Ordines , Altera sine culpâ , altera cum culpâ : inhabilitas , quæ est in nobis sine culpâ , vocatur irregularitas , ex defectu ; inhabilitas quæ est in nobis cum culpâ , vocatur irregularitas , ex delicto ; ergo duplex est irregularitas Ecclesiastica . Ex defectu & ex delicto .

Consecaria hujus Doctrinae .

§. I.

De Irregularitatibus ex defectu .

MULTÆ sunt irregularitatem ex defectu ; quæ sequentibus Consecariis explicabuntur.

C O N S E C T A R I U M I . Irregulares s̄i

defectu sanitatis, in anima, non possunt licetè recipere Ordines; & ita amentes, phrenetici, abreptitii, Epilectici, nequeunt licetè accipere Ordines; quia sunt irregulares ex Jure Ecclesiastico. **Canone Clericorum**, **Canone Marianum**, **Canone Usque**. Distinctione 33. Ratio est; quia non deceret tales homines, usum plenum rationis non habentes, munia Ecclesiastica exercere. Si Epilepsia contingat ante 14. annum, possunt licetè ordinari; quia est curabilis, ut docent medici. Si verò contingat post 25. annum, non possunt ordinari; quia est incurabilis, ut docent medici. Si casus Epilepsiae contingat ratiùs in Presbytero. v.g. Sémel in anno, potest celebrare præsente alio sacerdote.

CONSECTARIUM II. Irregulares ex *defectu scientie*, seu illiterati, quia non habent scientiam sufficientem ad exercendum Ordinem, non possunt licetè ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico. **Canone**, **Illiteratos**. Dist. 26. & præceptum illud nemdam Ecclesiasticum, sed etiam divinum est. Ratio est; quia non decet ignorantes altari servire.

CONSECTARIUM III. Irregulares ex *defectu conversionis*; seu recentè conversi ab Idololatria, à Mahometismo, Judaismo, nou possunt licetè ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Cannico. **Canone**, **Quoniam**. Distinct. 48. Ratio est; quia in superbiam elati, in opprobrium inciderent, & in laqueum dia-boli. Ut dicit Scriptura.

CONSECTARIUM IV. Irregulares ex *defectu corporis*; v.g. inutilati, sive qui se-

rent membro , vel necessario ad exercitium ordinis , vel cuius defectus inducit notabilem maculam , nequeunt licet recipere ordines ; quia sunt irregulares ex Jure Ecclesiastico , ut abunde liquet ex Synodo Romana sub Leone. Ratio est ; quia dedecet Dei Ministrum esse mutilatum & membris non integrum. Ideo abscisi à seipsis , vel castitatis servandæ desiderio , vel cantandi gratiæ , nequeunt ad Ordines promoveri. Ita Nicenum canone 1º. Carentes manu , Pollice , Indice , oculo sinistro , nequeunt licet ordinari ; quia hæc membra necessaria sunt ad Ordinis exercitium. Carens auribus , naso , Gibbosus , Leprosus , Paralyticus , Gigas , Pygmæus , monstrosus in membris , non possunt licet ordinari ; quia defectus illi minuant honorem , qui debetur Ordinatis , & risum movent astantibus sacris Officiis.

CONSECTARIUM V. Irregulares ex defectu ætatis , seu qui non attigerunt ætatem competentem , non possunt licet ordinari ; quia sunt irregulares ex Jure Canonico ; quod determinatam requirit ætatem in ordinando , ut patet ex Tridentino. Ratio est ; quia decet Ministros Ecclesiaz non nisi in certâ ætate consecrari. Sic juxta Tridentinum , Tonsura non debet recipi ante septennium. Vult enim , ut sciant legere , & scribere , qui Tonsurâ initiantur , & constet , eos elegisse Hoc vitæ genus , ut Deo fidelem cultum exhibeant , quod non nisi post septennium constare neguit. Minores ordines post septennium usque ad duo decimum recipi possunt ; Acolytathus vero non nisi completo duodecimo anno reci-

pi potest. Canone, *In singulis* dist. 77. Subdiaconatus recipi non debet ante 22. annum, Diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. Sufficit tamen quod annus ille determinatus sit initatus, & non est necesse, ut sit completus.

CONSECTARIUM VI. Irregulares ex defectu natalium, illegitimè procreati, nimirum filii Sacerdotum; noctis; requieunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Ecclesiastico. Ita & Urbanus 2. distinct. 56. can. *Presbyterorum finos.* Ratio est; quia quamvis ipsi sint innocentes, non possunt altari ministare, nisi in fidelium memoriam revocent nefarium crimen, per quod ortum suscepserunt.

CONSECARIUM VII. Irregulares ex defectu libertatis, qui sunt sub alienâ potestate, non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico. dist. 54. Canone, *Nullus. Nullus Episcopus servum alterius ad clericatus Officium promovere presumat, nisi eorum peticio, vel voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vindicant potestatis.* Ratio est; quia ille, qui ordinatur, consecrat se Deo. Ideò debet esse liber, & non sub alienâ potestate mancipatus; debet enim, inquit Canon. *Immunis esse ab alijs, qui divine militiae est aggregatus ut à castris Dominicis, quibus nomen illius adscribiatur, nullius necessitatis vinculis absirabatur.* Sic servi propriè dicti, seu mancipia, nequeunt licite ordinari. Lib. 1º. *Decretum*, de servis non ordinandis. Sic conjugati non possunt licite ordinari, nisi uxores solemniter yoveant castitatem. *Curiates, id*

est, sacerdotali curiae obligati vel ratione iumenti, vel ratione stipendii, non possunt licet ordinari. Sic milites, quamdiu sacramento militiae tenentur, non possunt licet ordinari. Thesaurarii, & depositarii publici ararii, donèc Officia abjecerint, & ratiocinia reddiderint, non possunt licet ordinari. Cap. *Magnus*, Extra, de obligatis ad ratiocinia non ordinandis. Religiosi non possunt licet ordinari sine consensu sui superioris. *Dicit.* 58.

CONSECTARIUM VIII. Irregulares ex defectu lenitatis sunt illi, qui efficaciter concurrunt ad homicidium, vel mutilationem justam, sive in bello, sive in judicio forensi; & hi non possunt licet ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico. Canone, *Si quis viduam & cap. ad Audientiam, extra, De homicidio.* Ratio est; quia decet Clericum militem esse, sicut Christus mitis fuit. Ideo milites in bello pugnantes, sunt irregulares, non ex solo exercitio militiae, sed ex actu, scilicet si ex eorum actione sequatur mors, aut mutilatio; quia, ut ait Innocent. 1. Epis. 23. *Cum potestatibus obedierunt, severa necessariò precepta executi sunt.* Et Honorius 3. circa hoc interrogatus à Sacerdote, qui erat in Castro, à quo Saraceni fuerant repulsi, respondit eum esse irregularem, si de imperfectione cuiusquam in illo confliquo tuata conscientia remordet. Cap. *Petitio tua. De homi.* Ergo exercitium armorum non reddit ex se irregularem, teste Baronio ad an. 1033. Imò Conc. Arelat. 1. can. 3. Indiscriminatim excommunicat tamen Clericos, quam Laicos, qui belli exercitium pro

Reipublicæ defensione necessarium abjiciuntur;
De his, inquit, qui arma projiciunt in pace, pia-
 cuit eos à Communione abstineri: & quidem op-
 timè; nam ut ait Aug. Non militare delictum
 est, sed propter prædam militare peccatum est.

CONSECTARIUM IX. Quicunque,
 ut Minister Justitiae, concurrit vel ad mor-
 tem, vel ad mutilationem hominis rei, si
 concurrat efficaciter, & proximè, & per actionem
 ex natura suâ conferentem vel properan-
 tem necem, aut mautulationem, est irregularis,
 si mors, vel mutilatio sequantur. Ca-
 nonem, *Si quis viduam.* Dist. 50. & cap. cle-
 ricos. De Homicidio. Ideò omnes isti sunt
 irregulares. 1º. Judices. 2º. Apparitores. 3º.
 Carnifex. 4º. Accusatores. 5º. Denunciatores;
 quia omnes isti sunt Ministri justitiae, & con-
 currunt efficaciter ad necem, vel mutilatio-
 nem per actionem ad hoc destinatam.

CONSECTARIUM X. Per rationem op-
 positam omnes subsequentes non sunt irregula-
 res; quia non concurrunt proximè ad necem,
 vel mutilationem, nec ut Ministri justitiae.
 1º. Principes condentes Leges, damnantes reos
 ad mortem; quia leges non conduntur ad infe-
 rendam mortem, sed ad reprimendam flagi-
 tiosorum licentiam. Ità S. Antoninus 3. parte,
 titulo 28. cap. 2. 2º. Judices Ecclesiastici tra-
 dentes reos judicibus sacerdotalibus, protestan-
 tes se non intendere mortem; quia rei occi-
 sio, vel mutilatio non sequitur ex tali tradi-
 tione. Cap. *Episcopus*, titulo, ne Clerici, vel
 Monachi se immisceant sacerdotalibus negotiis
 in 6º. 3º. Confessarius aut quicunque alius,
 excitans judicem ad exercendam justitiam vin-
 dica-

dicativam contrà malefactores ; quia occisio non sequitur ex tali exhortatione. 4°. Qui Author est, ut capiatur maleficiens ; licet maleficus occidator, vel damnatus à judice, vel resistens illi, qui vult eum ad judicem adducere ; quia occisio non sequitur per se ex tali actione. Cap. ad *Audientiam*, extra , de homicidio. 5°. Clericus *accusans* malefactores, vel in suā, vel in aliorum causā, protestans corām judice se non intendere mortem accusati & nolle incurtere irregularitatem ; quia actio non est causativa homicidii. Cap. *Prælatis*, de homicidio in 6. Alias , inquire jus, daretur pterisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bonum liberè deprædandi. In 6. lib. 5. titulo 4. cap. 2. 6° Testes impulsū à judice , Notarii scribentes Sententiam mortis , latam contrà reum , juxta jurisprudentiam Gallicanam , non sunt irregulares ; quia illa actio proximè non concurrit ad occisionem. Ita Dominus de Sainte Beuve. 3. parte. pag. 122 7°. Clerici versantes in loco , in quo reus morti addicitur , non sunt irregulares ; quia , ut loquitur Innocentius IV. Interessè non facit irregularitatem , nisi authoritatem præstet , vel auxilium. 8°. Qui confidunt gladios , aliaque instrumenta , quibus utitur caenifex , ut reum morte plectat . qui parat furcam , in quā reus suspenditur , &c. Non sunt irregulares ; quia actiones illæ ex se non ordinantur ad occisionem , nec ex se sunt causativæ homicidii. 9°. Clerici , aut Laïci , qui textantur pro defensione Innocentis , ex quo testimonio sequitur mors calumniatoris & falsorum testimoniū , non sunt irregu-

lares; quia actio ex se non ordinatur ad occasionem. 10°. **Confessarius**, qui horretur reum, ut ascendat scalam, qui suggerit viam Breviorem, quā eatur ad locum supplicii, non censetur irregularis, juxta multos; quia non facit illud, ut minister publicus justitiae. Ita suares, Reginaldus, Leiman. Sunt tamen alii magni nominis Theologi, qui sentiunt Confessarium esse in illis casibus irregularē. Ideò in dubio prudenter se geret. **Confessarius**, qui hoc præstítit; si abstineat à sacris muneribus, & dispensationem obtineat.

CONSECTARIUM XI. Irregulares ex defectu Sacramenti, sive est Bigamia. Bigami, sive illi, qui secundas nuptias contrahunt, vel qui contraxerunt matrimonium cum feminā, quæ notoriè Virgo non est, non possunt licet Ordines recipere; quia sunt irregulares ex jure Canonico. Cap. *Debitum*, de Bigamis Ratio est; quia Bigamus non perfectè significat unionem Christi cum Ecclesiâ; quippe Christus unam tantum duxit sponsam, nimirum Ecclesiā; Bigamus vero carnem suam in plures divisit uxores. Ad talēm irregularitatē non sufficiunt sponsalia, nec copula carnalis præcisè, sed requiritur Matrimonium verum, ratum & consummatum, vel Matrimonium juridicè præsumptum; si omnes sequentes sunt irregulares 1°. Qui duxit legitimè duas uxores successivè per Matrimonium ratum & consummatum; quia est divisio carnis in plures. 2°. Qui contrahit Matrimonium cum non Virgine, per fornicationem non à seipso, sed ab alio corruptā;

quia tunc est divisio carnis in plures. 3°. Qui viduam non Virginem duxit in uxorem per Matrimonium ratum, & consummatum; quia est divisio carnis in plures. 4°. Qui propriam uxorem cognoscit carnaliter, post quam ab alio cognita fuit per adulterium; quia est divisio carnis in plures. 5°. Qui post elicitum solemne votum castitatis, contrahit Matrimonium invalidum, & consummat illud; quia est quedam divisio carnis in plures, & quasi duplex Matrimonium, alterum spirituale cum Christo, alterum carnale, licet invalidum, cum uxore.

§. II.

De Irregularitatibus ex delicio.

Multæ sunt irregularitates ex delicio, quæ sequentibus Consecrariis exponuntur.

C O N S E C T A R I U M I. *Irregularitas ex iteratione baptismi*, vel ex illicitâ baptismi, aut aliorum Sacramentorum receptione. Reiterantes Baptismum, nequeunt licite ordinari, quia sunt irregulares ex jure Canonico. Ita fœlix zus. in Synodo Romanâ, Cap. 2. & 3. Ratio est; quia reiterantes baptismum, inducunt in hæresim rebaptisantium. Illud debet intelligi de rebaptisantibus absolute; quia reiteratio Baptismi sub conditione non inducit irregularitatem, imò potest aliquando esse licita & necessaria, v. g. Quando non constat, an Baptismus jam Collatus, sit validus.

C O N S E C T A R I U M I I. Baptisati ab Hæreticis, non possunt licite ordinari; quia sunt

244 MORALIS CHRISTIANA.
irregularis jure Canonico: ut docet felix zus:
ibidem. Ratio est; quia qui Baptisantur ab
Hæreticis, communicant cum Hæreticis.

CONSECTARIUM III. Baptisati in
mortis articulo, nequeunt licitè recipere or-
dines, quia sunt irregulares, etiam si conva-
lescant. Concilium Neocesarens. Cap. 12.
distinct. 57. Quia differentes receptionem
Baptismi, usque ad ultimam vitæ discrimen,
censentur Baptisma distulisse, ut liberius pec-
carent.

CONSECTARIUM IV. Publicè, & so-
lemniter Pœnitentes non possunt licitè ordi-
nari; quia sunt irregulares ex jure Canonico.
Ita Siricius in Synodo Romanâ. Cap. 3. &
4. Idem habetur distinct. 5. Cap. 5^o. Ratio-
est; quia, qui publicam pœnitentiam ege-
rant, censebantur gravia admisisse crima,
& proindè non idonei ad docendum, ar-
guendum & increpandum populum.

CONSECTARIUM V. Recipiens ordi-
nes illicitè, easque exercens, non potest li-
citè ordinari; quia est irregularis ex jure Ca-
nonico; & proindè isti omnes sunt irregula-
res. 1^o. Recipiens & conferens bis eundem
ordinem. 2^o. Recipiens ordines ante legitimi-
mam ætatem, v. g. Tonsuram antè septen-
nium, Subdiaconatum antè 22um annum,
Diaconatum antè 23. Presbyteratum ante
25. annum. Trident. sess. 23. 3^o. Recipiens
ordines ab Episcopo alieno, sine Dimissoriis
proprii Episcopi. 4^o. Suscipiens Ordines ab
Episcopo, jurisdictionem non habente. 5^o.
Suscipiens Ordines ab Episcopo excommuni-
cato. 6^o. Recipiens Ordines excommunicatus,

vel suspensus. 7^o. Recipiens Ordines Simoniacè. Trident. sess. 21. 8^o. Recipiens Subdiaconatum sine titulo vel Patrimonii, vel Beneficii, vel sine titulo Paupertatis, ut faciunt Religiosi, vel sine titulo Congregationis, ut sit in quibusdam Congregationibus nuper erectis. 9^o. Exercens solemniter Ordines, quos non habet. Cap. Si quis, extra. De Clerico non Ordinato, Ministrante. 10^o. Exercens solemniter Ordines, quos habet sed innodatus Censuris. Cap. Clerici. Cap. Latores. Extra, de Clerico excommunicato, deposito, ministrante. 11^o. Suscipientes Ordines per saltum, id est, recipiaces Ordinem superiorem, antequam receperint inferiorem, v. g. Presbyteratum ante Diaconatum. Diaconatum ante Subdiaconatum. & Subdiaconatum ante quatuor minores Ordines, & minores Ordines ante Tonsuram, & Tonsuram ante confirmationem; quia, ut inquit D. Thomas, per constitutionem Ecclesie determinatum est, quod ad majores Ordines se non ingrat, qui prius in minoribus Officiis se non humiliavit. Tridentinum, sess. 23. Cap. 4. Jubet ut nemo Tonsurā initietur, nisi Sacramentum confirmationis suscepit; quia congruum est, inquit, D. Thomas in 4. dist. 24. qd. art. 2a.

In illis casibus Ordinati per saltum, sunt irregularis, si susceptum Ordinem exercant, & antequam susceptum Ordinem exercere valent, debent Ordinem omissum recipere. Canone sollicitudo. dist. 52. Cap. Tuæ litteræ, de Clerico per saltum promoto.

CONSECTARIUM VI. Publicè inf;

X iiij

mes nequeunt licet recipere Ordines; quia sunt irregulares ex jure Canonico. Canone *Infames.* Causâ 6^a. q. 1. Sic concubinarii publici, Adulteri publici, Raptore publici, Incestuosi publici, Perjuri in judicio, sunt irregulares. Infamia publica est duplex; alia juris, alia facti. Infamia publica juris incurritur, cum quis, sive reus, sive innocens, declaratur juridicè infamis; & hæc infamia non tollitur nisi purgatione Canonica, aut Romani Pontificis dispensatione... Ideò qui sic damnatus est, quamvis esset Innocens, debet se gerere, quasi esset irregulatus, donec juridicè absolvatur, vel dispensemetur. Infamia facti est ea, quæ incurritur per crimina gravia, publica & notoria; & hæc tollitur notoriâ, & publicâ motum emendatione.

§ III.

De Homicidio Voluntario.

PROPOSITO Unica. Qui voluntarie concurrunt ad homicidium vel mutilationem injustam, non possunt licet ordines recipere, & sunt irregulares ex jure Canonico.

Probatur 1^o. Ex Concilio Tridentino. Qui per industriam, inquit, occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat, qui suâ voluntate homicidium perpetrauerit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiam si curam non habent animarum, colla-

ferri licent; sed omni ordine, ac Beneficio, &
Officio Ecclesiastico perpetuè caret. sess. 14.
Cap. 7. De Reformatione.

1º. Ratione. Omnes Ordines referuntur ad
Sacramentum Eucharistiae quod est Sacra-
mentum pacis, nobis per sanguinem Christi
fusum factæ; & quia homicidium maximè con-
trariatur paci, & homicidæ magis confor-
mantur occidentibus Christum, quam ipsi
Christo occiso, cui omnes Ministri prædicti
Sacramenti debent conformari. Ideò de
necessitate præcepti est, ut non sit homicida,
qui ad Ordines promovetur, quamvis non sit
de necessitate Sacramenti.

C O N S E C T A R I U M Unicum. Sequentes personæ sunt: irregulares & incapaces Be-
neficiorum & Ordinum. 1º. Qui per industriam,
vel per insidias aliquem occiderunt. Tridentinum. Ubi suprà. 2º. Qui causam homicidio
dederunt. Cap. Pro humani redemptione. Extra
De homicidio in 6. 3º. Qui de facto procu-
rant abortum fœtus animati, minimè verò
inanimati. Can. Moses. 22. q. 2. & Cap. Sicut
dignum. De Homicidio. Causam homicidio cen-
sentur dare, qui ad illud concurrunt modis
sequentibus. 1º. Suo Concilio, suo præcepto,
suâ ope. Canone, Si quis viduam. 2º. Suâ
suggestione, animum ad iram inflammando. Cap.
Sicut dignum. De Homicidio. §. Qui verò
3º. Suâ societate, jungendo se homicidæ, ani-
mo occidendi. Ibidem. §. Illi autem. 4º.
Alium in Duello substituendo, v. g. Si pu-
gil occidat adversarium. Cap. Henricus, extra
de Clericis pugnantibus in Duello. Qui vo-
luntariè commisit homicidium privatur, à Tri-

dentinis Patribus, Beneficiis, sed non Personibus. Ità censuit Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum. Qui præcipit committi homicidium in unam personam, si committatur in aliam, non est irregularis ex Homicidio voluntario, sed ex homicidio casuali; & ità si casus fuerit occultus, non eget dispensatione summi Pontificis, sufficit Episcopi dispensatio. Ità sensit anno 1587. Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum.

S. 47

De Homicidio Casuale.

P R O P O S I T I O U n i c a: Qui dat operam rei illicitæ, & de se periculosæ; si sequatur homicidium etiam casualiter, est irregularis; irregularis pariter est, qui dat operam rei licite, si non sufficientem adhibeat diligentiam; si ex ea negligentia sequatur homicidium Casuale.

Probatur 1º. Ex jure Canonico. Can Hi qui arbores, dist. 50. Ubi habetur quod Si aliqua culpâ vel neglectu, morientis hominis intentus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt à gradu, & nullatenus suscipiendi. Hi scilicet, qui fuerunt causa mortis. Ergo irregularis est, qui est causa culpabilis mortis, vel mutilationis.

2º. Ratione. Qui vacat rei illicitæ; vel qui vacans rei licite, non debitam adhibet diligentiam, est culpandus. Ergo si ex ejus actione, vel omissione, sequatur mors, vel mutilatio; meretur irregularitatem incurser-

CONSECTARIUM Unicum. Sequentes personæ sunt irregulares. 1º. Presbyter , qui disciplinæ causâ percussit puerum in capite , qui post paucos dies mortuus est ; quia fines disciplinæ excessit. Cap. *Presbyterum.* De homicidio. Presbyter , qui volens ferire quemdam de suâ familiâ cingulo , quo cingebatur , contigit ut gladius de vaginâ , quæ cingulo adherebat , elapsus est , & puerum in dorso vulneravit , ex quo vulnere recreatus est , sed alio morbo correptus , obiit : in illo dubio , an vel ex vulnere priori , vel ex morbo posteriori obierit ; facydos ille declaratur non debere Sacerdotio fungi , sed ex dispensatione in minoribus ordinibus ministrare. Cap. *Ad audientiam* , de homicidio ; quia excessit modum in conceptione ; & quia non adhibuit sufficientem diligentiam. 2º. Diaconus , & alii Clerici , qui ludum viatorum imitati , baculos projiciebant in aëra ; quidam Laicus cùm ejusdem Diaconi baculum percussisset , quasi viator , incautus in dorsum veluti equitaturus insiluit , & falce , quâ erat accinctus Diaconus , sibi vulnus inflixit , quo octo post diebus mortuus est : ille Diaconus declaratus est irregularis ; vel quia vacabat rei illicitæ , ludendo cum Laïco ; vel quia non adhibuit sufficientem diligentiam , ne alias falce , quâ erat accinctus , læderetur. Cap. *Continebatur* , extra. De Homicidio. 3º. Monachi custodientes domum jussu Abbatis , latrones , qui domum expilare volebant , ligaverunt , & dum unus è Monachis rem Abbatii deferret , alter videns quod fures abire niterentur , timens ne ab illis occideretur ,

eos occidit: uterque Monachus irregularis est declaratus; vel quia licet defensionis modum excesserant; vel quia pro vitanda jactura rerum temporalium nemo debet homicidium admittere. Cap. *Suscepimus*, extra De homicidio. 4°. Presbyter maleficum, qui Eucharistiam ab Ecclesia efferebat, fossorio abrepto, percussit; Parrochiani maleficum insecuri sunt, & occiderunt: Presbyter declaratur irregularis; quia modum defensionis excederat; vel quia suo exemplo Parrochianos ad homicidium excitaverat. Cap. *Significasti nobis*, ibidem. 5°. Monachus, & Clericus, Chirurgiam, urendo, vel incidendo, exercentes, irregularitatem incurront; sic enim habet Concilium Lateran. *Nec illam chirurgiae partem Subdiaconus, vel Sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit*: Medicinam verò exercentes non incurront irregularitatem, si id faciant sine ullius quesiti gratiâ, & sint periti in eâ arte; quia vacant rei licet, & maxime laudandæ; nullus què est Canon, qui Medicos irregulares declarat; quin imò ex Concordato inter Leonem X & Franciscum I. Medici admittuntur ad Beneficia Ecclesiastica. In universitate Parisiensi omnes Medici erant olim Clerici, & continentiam profitebantur; & dispensati sunt à Papâ, & eis permisum, ut tale votum non elicerent. Anno 1452. Sanctissimi quoque Episcopi olim Medicinam exercebant; tales fuerunt Fulbertus Episcopus Carnotensis, Yro Carnatensis, &c. Et Baronius numerat tringitatis tres, vel Presbyteros, vel Episcopos, qui inter Sanctos sunt abscripti, licet Medicinam

execuerint : hinc patet quām longē à vero errant, qui docent medicos ex vi suæ professionis irregulares esse. 6°. Qui mandat homicidium, incurrit irregularitatem, si mandatarius personam designatam occidat, vel mutilet: imò si quis mandet aliquem verberari, licet expressè prohibeat, ne occidatur; si tamen occidatur persona designata à mandante, efficitur irregularis; quia in culpā fuit in mandato. Cap. *Is qui*, de homicidio; non tamen incurrit irregularitatem, si contrarium mandet, antequām crudele mandatum impleatur, vel si pacem ineat cum eo, cuius cædem imperaverat, vel affinitatem, vel alia amicitiae signa, sciente mandatario; quia tunc homicidium adscribitur non voluntati mandantis, sed mandatarii. Cap. *Ad audientiam*, extra de homicidio. 7°. Clerici incumbentes venationi, interdictæ Clericis, v. g. Venationi clamoræ, & quæ fit cum armis, qualis est venatio aprorum, cervorum, &c. Si incautè aliquem occidunt, etiam si prudentem diligentiam adhibuerint, sunt irregulares; quia vacant rei illicitæ. Ita Sotus 1.b. 5. De Justitia & jure. q. 1. art. 9. 8°. Qui invasorem occidunt, aut mutilant, non servando moderamen inculpatæ tutelæ, sunt irregulares. Cap. *Significati extra*. De homicidio 9°. Qui impediunt aliquem, ne se defendat, ne fugiat, aut prohibent ne cohibeat impetum aggressoris; si lacesitus occidatur, aut mutiletur, sunt irregulares; quia vacant rei illicitæ. Cap. *Sicut dignum*, extra, de homicidio in 5.

P R O P O S I T I O unica. Qui dat operam rei licitæ, & prudentem adhibet diligentiam,

etiamsi ex ejus actione sequatur homicidium casuale , non est irregularis. Ita jus Canonum. Cap. Laborem. Cap. Dilectus. Cap. Significasti , extra de homidio : ubi dicitur , quod irregularitas non incurritur , cum exira omnem culpam contigit mors vel mutilatio.

2^o. Ratione in memoratis casibus non solum nulla est culpa , sed etiam involuntaria omnino est occisio : ergo & mutilatio ergo non potest incurri irregularitas ex delicto.

CONSECTARIUM unicum. Juxta Canonicistas , sequentes personæ non incurruunt irregularitatem. **1^o.** Presbyter , qui cum fœnum de curru deponeret , perticam , quā fœnum ligabat , projiciendo , puerum incaute occidit , diligentissimè undequaque circumspiciens , ne quem lœderet , hic , inquam , Presbyter eximitur ab irregularitate ; quia vacabat rei licitæ , & sufficientem adhibuerat diligentiam. Cap. Ex litteris. De homicidio.

2^o. Monachus , qui deponens campanam de campanili , puerum oppressit per lignum , quod , invito Monacho , lapsum est è campanili ; hic Monachus eximitur ab irregularitate ; quia vacabat rei licitæ , & sufficientem adhibuerat diligentiam. Cap. 2. Ex litteris De Homicidio. **3^o.** Clericus equitans , invititus raptus ab equo , mulierem obviam occidit ; hic Clericus eximitur ab irregularitate ; quia vacabat rei licitæ , & sufficientem adhibuerat diligentiam. Cap. Dilectus Filius. De Homicidio. **4^o.** Pueris ludentibus , unus projecit lapidem . non animo lœdendi , sed animo terroris sociis incutiendi , quo lapide non est percussus puer , sed perterritus , cedens

contrà

contrà alium lapidem, vulneratus est; & incuria tūm Medici, tūm Patris, mortuus est hic puer: qui lapidem projecterat eximitur ab irregularitate; quia non dederat causam homicidii. Cap. *Exhibita.* De Homicidio.
 5°. Consanguinei alicujus Clerici occiderunt Abbatem, qui Clericum Beneficio spoliaverat, occiderunt, inquam, repugnante Clerico: Clericus eximitur ab irregularitate; quia non concurrit ad homicidium. Cap. *Petrus Diaconus.* De Homicidio. 6°. Sacerdote pulsante campanam, ut populum advocaret, cadens tintinabulum, Clericum oppressit: hic Sacerdos eximitur ab irregularitate; quia vacabat rei licitæ, & sufficientem adhibuerat diligentiam. Cap. *Quidam.* De Homicidio. 7°. Qui aliter mortem evadere non valens, invasorem occidit, aut mutilat, liber est ab irregularitate. Clementinâ 1a. *De Homicidia si furiosus.* Contrarium docuit D. Thom: s, sed loquebatur juxta jus, quod ævo suo vigebat.
 8°. Qui occidit alium cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad defendendam vitam Patris, non incidit in irregularitatem: ut liquet ex interpretatione Tridentini, à Congregazione Cardinalium editâ. 9°. Qui bona fide porrigit aliquid infirmo. v. g. Cibum, vel potum; vel ægrum commovet, de lecto in lectum transfert, aut aliud circè illum operatur, ex quo mors vel ejus acceleratio sequatur, non sit irregularis, nisi tanta intervenierit negligentia, ut prudentum judicio censeretur occisio, arquè ideo mortalis temeritas; quia illi vacant rei licitæ & sufficientem adhibent diligentiam. Ita Sotus.

ARTICULUS IV.

De Mediis, quibus tollitur irregularitas.

PROPOSITIO I. Irregularitas jure di-
vino nullatenus tolli potest auctoritate
Ecclesiæ ; quia sicuti Deus illam legem sta-
tuit , ita solus Deus potest ab illa lege dis-
pensare. Et proinde irregularitas, quæ prove-
nit ex defectu sexus masculini , ex defectu
Baptismatis non suscepit, non potest tolli ab
Ecclesiâ.

PROPOSITIO II. Irregularitas qua-
cumque ex Ecclesiastico jure proveniens , po-
test tolli ab Ecclesiâ , & ab eo , qui vicem
eius gerit. v. g. à Concilio Æcuménico , v.
g. à Papâ ; quia sicuti Ecclesia legem illam
condidit ; ita sola Ecclesia potest ab illâ dis-
pensare. Et proinde irregularitas quælibet
procedens ex defectu , vel ex delicto , potest
tollri ab Ecclesiâ , à Papâ , vel à Concilio.

PROPOSITIO III. Irregularitas ex
jure Ecclesiastico proveniens , potest tollri ab
Episcopo , si proveniat ex delicto occulto , &
non deducto ad forum contentiosum , minimè
verò si proveniat ex defectu , vel ex homi-
cidio directe , & in se volito. Ita Tridenti-
num , sess. 24. De Reform. Cap. 6. Et ita ir-
regularitas proveniens ex defectu animæ , ex
defectu corporis , natalium , ætatis , lenita-
tis , bonæ famæ , libertatis , non potest tollri
ab Episcopo. Irregularitas proveniens ex ho-
micio voluntario , etiam occulto , non po-

test tolli ab Episcopo. Irregularitas ex quocumque crimine publico , ad forum contentiosum deducto , non potest tolli ab Episcopo. Irregularitas ex homicidio casuali potest tolli ab Episcopo , si homicidium sit occultum , & non deductum ad forum contentiosum. Imò potest tolli à Sacerdote, delegato ab Episcopo. Ita Dominus de Sainte Beuve 3^a. parte pag. 255. Et ideo hæc exceptio Trident. *Episcopis ianum, & non eorum Vicariis sit permisum absolvere in hæresi criminis &c. locum non habet in Gallia; ubi Vicarii Generales, imò delegati à Vicariis Generalibus absolvunt ab hæresi, & ab his, à quibus absolvunt Episcopi.* Irregularitas proveniens ex quocumque delicto, occulto , & diverso ab homicidio ; modò res non sit deducta ad forum contentiosum potest tolli ab Episcopo. Episcopus potest in irregularitatibus , quæ egent dispensatione Papæ , permettere , si ita exigat necessitas & bonum Ecclesiæ , cui ministrat , Episcopus potest , inquam , permettere Parrocho Sacerdoti irregulari exercere suas functiones Ecclesiasticas ; quia pœnæ debent esse in adificationem Ecclesiæ ; tenetur tamèn Parochius dispensationem à supremo Pontifice postulare. Ita Dominus de Sainte Beuve.

PROPOSITIO IV. Irregularitas ex defectu natalium tollitur multis modis. 1^o. Per Matrimonium subsequens inter eorum Parentes , modò illi Parentes tempore Conceptionis validè potuerint contrahere. 2^o. Per Professionem in Religione approbatā ; Ita Lateranense II. Canone. 21^o. Religiosus tamèn, irregularis ex defectu natalium , non habet ex

vi suæ Professionis, quod possit sine novâ dispensatione promoveri ad Episcopatum , & ad regulares Prælatutas, v.g. ad Abbatiam , ad Prioratum , &c. Ut constat ex Cap. *Ut Filii extra*, De Filiis Presbyterorum non Ordinandis. 3^o. Ex dispensatione Episcopi , qui Filios illegitimè natos , potest reddere habiles ad minores ordines , minimè ad maiores , ad exigua beneficia, minimè verò ad Canonicum , & ad dignitates Ecclesiæ Cathedralis , & ad Beneficia , Curam animarum habentia. Is usus viget in Gallia : & explicatur. Cap. 1. De Filiis Presbyterorum in 6. 3^o. Ex dispensatione Romani Pontificis , qui tamen non dispensat, ut Filii Presbyterorum recipiant beneficia Patrum suorum , quovis titulo , etiā titulo commendæ. Ità Tridentinum , sess. 25. Cap. 15. De Reformatione.

ARTICULUS V.

De Depositione.

Depositio est poena Ecclesiastica , Quâ Clericus in perpetuum privatur omni beneficio , officioque Clericali , sine spe restitutio-
nis , retento tamè Privilegio fori & Canoni-
cis. Et proindè Clericus depositus privatur
omni Officio & exercitio sui Ordinis , & om-
ni Beneficio ; gaudet tamè privilegiò , quo
redditur immunis à percussione , sub poena ex-
communicationis latè à Canone , si quis , sua-
dente diabolo , &c. Et redditur immunis à
Tribunali sacerdotali .

ARTICULUS VI.

De Degradatione.

DEGRADATIO est pœna Ecclesiastica, quā Clericus, depositus solemniter, privatur omni gradu Clericali, omni Officio & Beneficio, & exiit quibuscumque privilegiis, & insignibus Clericorum: hæc degradatio fit cum quādam solemnitate: Clericus degradandus sicutur coram Episcopo, indutus omnibus insignibus Clericorum, & ejusdem sacrī vestibus exiit, & indignus omni gradu, & Clericali honore declaratur. Ritus ad hanc ceremoniam requisiti, describuntur in Tridentino sess. 13. Cap. 4. de Reformatione.

ARTICULUS VII.

De cessione à Divinis.

PROPOSITIO Unica. Cessatio à divinis est legitima desistentia ab Officiis divinis, & ab administratione Sacramentorum; ut hac divinorum cessione appareat, quantum doleat Ecclesia ob injuriam, suo sponso, Christo scilicet, illatam.

Probatur ex Jure Cano. Cap. Non est verbis, de Sponsalibus; ubi Alexander III. loquens de Provinciâ subjectâ interdicto, vel cessioni à divinis, hæc habet. Nulla divina officia, præter baptismum parvolorum, & panien-tias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari. Ergo in interdicto, & cessione à divinis, cessant omnia divina Officia.

2°. Ratio. Ecclesia non potest armis propulsare injuriam sibi illatam; ergo potest uti cessatione à divinis; ut eā privatione sentiat populus, quām amarum sit à Deo recedere, & contrā Ecclesiæ præcepta rebellare; sed quia per cessationem à divinis posset populus sensim ad itreligionem deflectere; ideo eā pñarō utendum est.

Consectaria in quibus casibus cessandum sit à Divinis.

C O N S E C T A R I U M I. Totiēs cessandum est à Divinis in aliquā Ecclesiā; quotiēs polluitur; quia indecens est divina Officia in Ecclesiā pollutā celebrari: Ecclesia autem polluitur in sequentibus casibus 1°. per injuriosam sanguinis effusionem, mortaliter culpabilem. Cap. *Proposuisti. De Consecratione.*

2°. Per homicidium injuriosum, & notorium Cap. *Si Ecclesia*, eodem titu.

3°. Per notorium hñmani seminis effusionem, intrà Ecclesiam, sive fiat per voluntariam pollutionem, sive per copulam conjugalem. cap. *Si Ecclesia*, eod. titu.

4°. Per sepulturam hominis excommunicati denuntiati, vel infidelis, vel infantis non baptisati. Cap. *Consuluisti*; eod. titu.

Tractatum de Censuris subsequetur erat tractatus de variis hominum statibus; sed cum īgentem illam materiam Tomus iste comprehendere nequeat, brevem subjicio de Beneficiis Ecclesiasticis tractatum: quæ quidem materia ap̄tē Censuris Ecclesiasticis & irregularitatibus succedit, cūm ab omni Censurā & irregularitate immunis esse debeat, qui Beneficium Ecclesiasticum suscipere intendit. Idēd. sic.

ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେଟ ମୁଖ କାହିଁ ହେଲା : ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେତ ହେଲା : କାହିଁ ଯାଏ କାହିଁ ପାଇଁ
ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେତ ହେଲା : ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେତ ହେଲା : ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେତ ହେଲା : ଶ୍ରୀ ଗ୍ରେତ

TRACTATUS III.

ISTE Tractatus varios articulos complectetur, quibus explicabuntur singula, quæ ad Beneficia Ecclesiastica pertinere possunt.

TRACTATUS PRIMUS

Quid & quoniam sit Beneficium Ecclesiasticum.

S., I.

Dicitur Beneficium.

BENEFICIUM est potestas spiritualis, quam habet Clericus, exercendi ministerium aliquod Ecclesiasticum, cui, autoritate Ecclesiastica, annexum est jus perpetuum percipiendi fructus aliquos ex bonis Ecclesiarum.

1^o. Dicitur , quod *Beneficium est potestas spiritualis* ; quia id , quod primo debet concipi in *Beneficio* , est potestas spiritualis exercendi *sacrum aliquod ministerium* ; quia ex Trid. §. 21. Cap. 5. De reform. *Beneficia ad Divinum Cultum* , atque *Ecclesiastica munia subeunda* , sunt constituta. Ideo *Beneficium per se primum est potestas Spiritualis.*

3º. Dicitur, potestas spiritualis, quam ha-

bet Clericus; quia potestas illa, ut potè spiritualis, non potest conferri nisi homini, per Clericatum consecrato; & ita nemo potest recipere Beneficium, nisi sit saltèm Clericali tonsurâ initiatus.

3°. Dicitur, potestas exercendi ministerium aliquod Ecclesiasticum, v. g. Potestas recitandi Officium, aut publicè, aut Ecclesie nomine, celebrandi Missam, &c. Ita Concilium Mediolanense I. Præcipit Episcopo: Ut quiscumque Beneficiis pro fructuum ratione munera imponat. Part. 2°. tit. 26.

¶ 4°. Additur, cui annexum est jus perpetuum percipiendi redditus temporales; quia Divini iuris est, ut qui servit altari, de altari vivat. Concil. Coloniense. Anno. 1545. tit. 19.

Jus illud debet esse perpetuum; quia pensiones ad certum tempus concessæ, quæ pensionarii morte extinguntur, non sunt Beneficium.

Jus illud debet esse auctoritate Episcopi constitutum; unde capellaniæ, quas obijus vocant, non sunt Beneficia.

§. II.

Dividitur Beneficium.

Beneficium aliquid est regulare, aliud sacerdotiale.

Beneficium regulare est illud, quod conferitur Clerico regulari, id est, illi, qui vel emisit professionem in Religione approbatâ, vel saltèm Novitiatum ingressus est.

Beneficium sacerdotiale est illud, quod con-

seatur Clerico sacerdotali, id est, Clerico, qui nec emisit professionem in Religione approbatam, nec Novitiatum ingressus est.

Beneficium aliud est habens curam animarum, aliud non habens curam animarum.

Beneficium habens curam animatum est illud, cui ex Officio adjuncta est animatum cura. Talis est v. g. Episcopatus, Decanatus, Parochia, Abbatia, Prioratus, ubi sunt regulares.

Beneficium non habens curam animarum est illud, cui ex Officio non annexa est animarum cura. Talis est, v. g. Canonicatus, Præbenda, Prioratus simplex.

Beneficium aliud est habens jurisdictionem contentiosam, aliud non habens jurisdictionem Contentiosam.

Beneficium habens jurisdictionem Contentiosam, est illud, cui Annexum est jus correctionis, ut Archidiaconatus.

Beneficium non habens jurisdictionem Contentiosam est illud, cui annexa est aliqua præminentia sine jure correctionis: Talis est, v. g. Præcentoria, Sacristia.

Beneficium aliud est in titulum, aliud in Commendam.

Beneficium in titulum est illud, quod datur ei Clerico, cui ex natura Beneficii debet dati; ut Beneficium sacerdotale sacerdotali, regulare regulari.

Beneficium in commendam est illud, quod jure novo datur Clerico, cui ex natura Beneficii non debet dati, v. g. Beneficium regulare datur sacerdotali.

Demum à concordati tempore aliud est Beneficium *Consistoriale*, aliud non *consistoria-*

le, Beneficium *confistoriale* est illud, quod post Regis nominationem, confertur in Confistorio Romano, tales sunt Episcopatus, & Abbatiae. Beneficium non *Confistoriale* est illud, quod confertur extra Confistorium Romanum à quocumque legimo Collatore.

Quot modis conferatur Beneficium.

Beneficium confertur tribus modis 1º. Per collationem. 2. Per presentationem. 3º. Per electionem.

Electio est alicujus personæ idoneæ, ad dignitatem, vel ad fraternalm societatem, servatâ formâ Canonice factâ, vocatio. Talis est v. g. electio Episcopi facta à Capitulo, Abbatis facta à Monachis, &c.

Præsentatio est legitima exhibitio Clerici ad Beneficium, facta ab eo, qui jus habet præsentationis. Talis est nominatio facta à principe, ab universitate, pro prælatura vacante.

Collatio est libera attributio Beneficii, non dependentis à jure Patronatus. Talis est v. g. collatio Patrochiae, facta ab Episcopo, collatio Præbendæ facta à Capitulo, &c.

Jus autem Patronatus est potestas præsentandi Clericum Episcopo, vel Capitulo; à quo Episcopo vel Capitulo Clericus præsentatus institutionem accipit. Patronatus dicitur Laicus, quando est fundatus à Laico... dicitur Ecclesiasticus, quando est fundatus à Clerico.

ARTICULUS II.

De Dotibus requisitis in Clerico, vel Monacho, ut licite & valide possit Beneficium recipere.

ALIX sunt Dotes, quæ requiruntur coram Deo, ut receptio Beneficii sit licita; aliæ sunt Dotes, quæ requiruntur, & coram Deo, & coram hominibus, ut receptio Beneficii sit licita, & non irrita.

§. I.

De Dotibus requisitis coram Deo.

P R O P O S I T I O Prima & fundamentalis. Clericus, vel sacerdotalis, vel regularis, non potest citrā peccatum gravissimum suscipere Beneficium, si ad illud Officium non sit Divinitus vocatus.

Probatur I. Scripturā. Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Ad Hæbreos 5^o. Ergo sicut Aaron à Deo vocatus fuit; ita vocetur à Deo necessum est, qui aliquod Beneficium suscipit.

2^o. Ex Concilio Tridentino. Cum nullus debeat, inquit, ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiæ. Ergo neque ad Beneficia assumi. §. 23. cap. 16.

3^o. Rat:one. Vocatio est origo gratiæ, necessitatiæ ad exercendum munus Ecclesiasticum; uti enim Deus in ordine naturali aptat causas naturales, eisque virtutem adm̄ nistrat, ita in ordine supernaturali dat Christianis,

quos vocat ad statum Ecclesiasticum, gratias ad illum statum necessarias. Ergo nullus debet Beneficium aliquod Ecclesiasticum suscipere, nisi vocatus à Deo. Vide quæ de vocatione dicemus, ubi de statibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Tutâ Conscientiâ recipere Beneficia non possunt, qui ad Beneficia sese intrudunt seditione & ambitione; quia non sunt vocati à Deo. Can. Principatus causâ 12. q. 12. *Principatus, quem aut seditione extorsit, aut ambitus occupavit; etiamsi moribus, atque aëribus non offendit: ipsius tamen iniij sui est perniciosus exemplo.* Et difficile est, bono peragantur exitu, quæ mala sunt inchoatae principio.

C O N S E C T A R I U M II. Tutâ conscientiâ recipere Beneficia non possunt, qui ea optaverunt solo honoris & reddituum temporaliū intuitu; quia non sunt à Deo vocati. Non enim Petro dictum est. *Mulge aut tonde oves, sed paste, exemplo conversationis, verbo prædicationis, & fructu orationis.* Optandum est, inquit Trident. §. 25. Cap. 4. Ut ii, qui Episcopatus Ministerium suscipiant, quæ suæ sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.

C O N S E C T A R I U M III. Tutâ conscientiâ accipere Beneficium quocumque negqueunt, qui non habent voluntatem, saltē conditionatam, si Deus ita approbet, perseverandi

severandi in statu Clericali ; quia alias accipiunt Beneficium , non ut Deo , sed ut sue utilitati serviant Cap. Commissa. De Elecione. In 6°. Ubi sic habetur. Cæterum si promoveri ad Sacerdotium non intendens , Parœcialem receperis Ecclesiam , ut fructus ex eâ per annum percipias : ipsam post modum dimissurus (nisi voluntate mututâ promoueris fueris) teneberis ad resumptionem fructuum eorumdem ; cuns eos receperis fraudulenter.

CONSECTARIUM IV. Tutâ conscientia recipere Beneficia nequeunt , qui mediis quibuscumque , ab Ecclesiâ prohibitis in Beneficia sese intrudunt ; quia non sunt vocati à Deo. Beneficium quippè Ecclesiasticum non potest licet sine institutione Canonica obtineri. Reg. 1a. De Regulis juris in 6°.

PROPOSITO II. Sequens ex priori. Clericus , sive secularis , sive regularis , non potest citra peccatum recipere Beneficium Ecclesiasticum , si sit corruptis moribus ; etiam si corrupti illi mores non palam , & publicè appareant.

Probatur 1°. Scripturâ. 1a. Ad Timo. 3. v. 7. Oportet autem illum , id est , Episcopum , & testimonium habere bonum ab iis , qui foris sunt. Ergo requiritur , ut Clericus sit probatae vitæ coram hominibus. Ergo & requiriatur . quod sit probatae vitæ coram Deo.

2°. Ex jure Canonico. Præsenti Decreto statuimus , ut nullus ad regimen Parœcialis Ecclesiæ assumatur , nisi sit idoneus moribus , scientiâ , & ætate. Cap. Licet Canon. De electione in 6°. Et quamvis Canon loquatur expressè de Ecclesiâ Parœciali , mens tamen Ec-

266 MORALIS CHRISTIANA
clesiae est, ut Clericus ad nullum Beneficium
assumatur, nisi sit scientia idoneus, vita lau-
dabilis, & conversatione honestus. Ut docet,
Clemen. *cum ei, quem.* Tit. 3. De Conces-
sione Præbendæ.

3º. Ratione. Quia ex eo quod Clerici cor-
ruptis moribus ad Beneficia promoveantur;
multa sequuntur damna. 1º. Sequitur, ut plu-
rimum, æterna damnatio Beneficiarum;
quia intrudunt se ad Beneficia, quibus divi-
nitus non destinantur: & contingit illud Je-
rem. 23. v. 21. *Non mittebam prophetas, &*
ipsi currebant. 2º. Sequitur damnatio fidelium,
qui ipsis committuntur; quia Clerici illi
ingrediuntur ovile, non ut pastores, sed
ut fures, & latrones. 3º. Sequitur maximum
damnum toti Ecclesiae; maxima enim per-
veritas est in republica, dum per pessimos rec-
tores gubernatur. 4º. Sequitur quod Cleri-
cus contemnitur; fideles non instruuntur; &
demum contingit malum illud prædictum à
Prophetâ. *Sicut populus, sic Sacerdos.* Iai.
24. v. 2.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter,
qui conferunt Beneficia his, quos sciunt esse
corruptis moribus; quia cooperantur pecca-
to, quod committitur ab his, qui ea recipiunt.

CONSECTARIUM II. Peccant gravi-
ter parentes, qui videntes filios pravis eli-
moribus, nihilominus curant, vel permit-
tunt eis conferri Beneficia.

S. II.

De Dolibus requisitis, & corām Deo, & corām hominib[us] ad suscipienda Beneficia.

PROPOSITIO III. Illata ex prioris Clericus, sive sacerdotalis, sive regularis, non potest citrā peccatum, suscipere Beneficium Ecclesiasticum, si non habeat bonos mores, scientiam & ætatem competentem: & si ignorantia eius, vita corrupta & ætas inferior, probari possint in foro contentioso, Clericus privari potest Beneficio.

Probatur iisdem rationibus, quibus superior conclusio.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *De moribus.* Citrā dispensationem, nulla est collatio Beneficii, facta excommunicato, deposito, interdicto; quia censetur Clericus ille corruptis esse moribus.

CONSECTARIUM II. *De Sententiis.* Beneficium simplex non potest suscipere validèis, qui nescit legere, & Grammaticæ Latinæ Rudimenta non potest addiscere; quia hæc scientia requiritur ad tonsuram suscipiendam, ex Trid. §. 23. Cap. 4. Primâ tonsurâ non initiemur. . . . qui fidei Rudimenta edocili non fuerint, quique legere & scribere nesciant: & proindè ad Beneficium quodlibet sunt inepti, qui sunt Latinæ Linguæ omnino rudes. 2º. Beneficium habens Cu-

ram animarum , nemo potest suscipere , nisi
sciat casus conscientie . Can. nulli Sacerdotum.
Dist. 38. Nulli Sacerdoti liceat sacros cano-
nes ignorare . 3°. Beneficium Patriciale in
oppidis muratis , aut quamlibet dignitatem ,
etiam primam Collegialem , nemo potest sus-
cipere , nisi sit , vel graduatus , vel Artium
Magister , aut per tres Annos , vel Theologiae ;
vel juri Canonico studuerit , Gradumque ali-
quem in ea facultate consecutus sit . Con-
cordatum titulo de collationibus . Et edictum
Henrici sexti . 4°. Beneficium Episcopale non
potest suscipere , nisi qui legerit attentè &
non obiter sacros Canones & Divinam Scrip-
turam . Substantia enim summi Sacerdotii nostri
sunt eloquia divinitus tradita . Can. Omnes
Psallentes . dist. 38. 5°. Beneficium quodcum-
que , cui annexa est cura animarum , nemo
potest suscipere , nisi sciat idioma populo-
rum , quos debet instruere . Ita habet Regu-
la 21. cancellariæ Romanæ recepta in Galliâ .
6°. Ille , qui falso titulo est graduatus , non
potest suscipere , vel retinere Beneficium ; ad
quod requiritur ex lege Ecclesiastica gradus
in aliquâ Universitate ; quia lex concordati ,
ut potè justa , observanda est . Sed titulus ille
falsus , est titulus nullus . 7°. Ille , qui per-
egit cursum studiorum , & tamen non asse-
cutus est scientiam congruentem gradibus ,
quos recipit , aut Ecclesiasticis muneribus uti-
lcam , non potest suscipere , vel retinere Be-
neficia illa , quæ ex præcepto Ecclesiastico
scientiam exigunt ; quia non habet scientiam
competentem . certum est , quod is committit
in legem , qui legis verba complectens , contra

CONSECTARIUM III. *De ætate.* Beneficium non potest recipere, qui non haberet statem ad hoc competentem. Pro Beneficio simplici requiritur annus decimus quartus, in Galliâ tamen ex consuetudine sufficit annus decimus pro Beneficiis Collegiatis.

Pro Beneficio, quod exigit Subdiaconatum, requiritur annus vigesimus primus. Pro Beneficio, quod requirit Diaconatum, requiritur vigesimus secundus. Pro eo, quod requirit Sacerdotium, requiritur annus vigesimus quartus completus ita Trid. Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum atatis sue annum promoveatur. §. 23.

Cap. 12 Ubi Concilium exprestè loquens de ætate, requisitâ ad Ordines, implicitè loquitur de ætate requisitâ ad Beneficium, requiriens talem, vel talen ordinem.

ARTICULUS III.

Quot modis Beneficium amittitur?

§. I.

Quo pacto citrà crimen Beneficium amittitur?

BE N E F I C I U M citrà crimen amittitur.
i. Defectu natalium: natus enim ex illegitimo matrimonio, est incapax Beneficij, si litteras à principe & dispensationem non

habeat: & dispensatus circa Beneficia similitudina, non dispensatur circa Beneficia, habentia vel curam animarum, vel dignitatem annexam. II. Defectu aetatis: qui enim non habet aetatem competentem, non potest suscipere Beneficium, aetatem superiorem requiriens; & si illud suscipiat, statim potest illo privari. III. Defectu celibatus: qui enim matrimonium init, hoc ipso singula Beneficia amittit. IV. Defectu dotium: qui enim non eas habet Dotes, quas jura requirunt; vel quas fundatores Beneficiorum exigunt, meritetur Beneficio privari: si enim civili munere privandus sit, qui eo est indignus; a fortiori Beneficio Ecclesiastico privari debet, qui eo indignus est. V. Defectu lenitatis: qui enim artem militarem exercet, hoc ipso beneficium amittit.

S. II.

Quæ criminis privent clericum suo beneficio?

Beneficia amittuntur criminibus, quæ hic subjiciuntur.

I. Hæresis. Can. *Ad abolendam. De hæreticis.* II. Simonia realis & confidentialis. Extravag. *Cum detestabile. De Simoniâ.* III. Falsificatio litterarum Apostolic. Cap. *Ad falsorum. De crimen falso.* IV. Homicidium Clerici, percussio Cardinalis, incarceratio Beneficiati; tum quia haec criminis merentur excommunicationem; tum quia specialem hanc poenam megetur, ut qui ea commiserit, Beneficiis suis privetur. Ut habet Felinus, su-

per. Cap. *Inquisitionis.* De pœnis. & Cle-
men. *Multorum.* De pœnis. v. *Sodomia.* Cap.
Clerici. De excessib. prælat. vi. *Excommuni-
catio manifesta:* collator enim excommunicatus non potest eam jurisdictionem exerce-
re, quæ requiritur, ut Beneficium conferat:
& suscipiens Beneficium, hoc ipso quod est
excommunicatus, indignus est qui illud reci-
piat. vii. *Concubinatus publicus.* *Concord.*
De publicis concub. viii. *Perjurium.* Cap.
Querelam. De jure jurand. ix. *Sortilegium.*
Cap. De sortilegiis. x. *Absentia ultra sex
menses à loco Beneficii,* quandò Beneficium
requirit residentiam. xi. *Ignorantia, scanda-
lum, pravi mores, &c.* Trident. ss. 7. Cap.
17. & ss. 25. Cap. 9.

§. III.

*Quo pacto aliquis suum Beneficium resignare
possit.*

Resignatio est spontanea proprii Beneficii
demissio, factam coram legitimo superiore eam
acceptante.

1º. Dicitur *sponanea Demissio;* quia si ces-
sio fieret violentè, dolosè, aut fraudulentè
nulla esset. Ita Cap. *Super hoc. De renuncia-
tione.* *Supervacuum esse non credimus, causam
resignationis diligentè inquire;* quam si forte
probabilem, id est, non vi, nec metu, nec op-
pressione, nec interventu pecuniae, nec promis-
sione exortam judex invenerit. admittere
non postponat. 2º. Dicitur *Beneficii proprii;*
quia non potest resignari Beneficium alienum.

3°. Coram legitimo superiore ; quia resignatio non potest fieri, reluctantate superiore. Ita Cap. Admonet. De renuntiatione ; renunciatio enim est juris proprii spontanea refutatio , quæ fieri debet in manibus ejus , à quo habetur institutio & confirmatio.

Resignatio est duplex , pura , & conditio-
nata.

Resignatio pura est ea , quæ fit sine condi-
tione & pacto , coram ordinario , qui Benefi-
cium potest conferre , cui voluerit. Resigna-
tio conditionata , seu in favorem , est illa ,
quæ fit cum aliquâ conditione & pacto appo-
sito coram summo Pontificē , qui Beneficium
non potest nisi certæ personæ conferre. Re-
signatio conditionata , seu in favorem , est du-
plex , simplex , & qualificata. Resignatio in
favorem simplex est ea , quæ fit absque reser-
vatione. Resignatio conditionata qualificata
est ea , quæ fit cum aliqua reservatione. v. g.
quando resigaans reservat sibi jus regessus ;
& hæc dicitur causâ mortis , vel ea , quâ si-
bi reservat jus pensionis.

PROPOSITIO prima & fundamentalis.
Beneficiarius non potest cedere suo Beneficio
nisi ob causas Canonicas , & cum renunciatur
beneficio , id debet fieri juxta Canones Ec-
clesiæ.

Probatur 1. Scripturā. Textus sacer illud
insinuat ; exhibet enim Christum & Aposto-
los , qui sunt exemplar omnium , qui habent
Beneficia in Ecclesiā. Christus autem & Aposto-
li , non ad tempus , sed ad ultimum usque
vitæ articulum Ecclesiæ servierunt. Ergo &
ad eum præstare debent beneficiati. Ergo nos

possunt Beneficio cedere, nisi justâ de causâ.

2º, Jure Canonico. Cap. *Nisi cum peridem.*
De renunciatione. Probatur ibi, quod Beneficiarius non debeat sine causâ suo Beneficio cedere.

3º. Ratione. Beneficium non est sicuti hæreditas, quæ pro arbitrio retineri, vel abjici possit; sed est instar Ministerii à Deo commissi, cui homo non potest sine legitimâ dispensatione renunciare; vel est instar matrimonii spiritualis, quod init Clericus cum Ecclesiâ, quodque solvi non potest, nisi gravibus de causis, quas Canonistæ istis carminibus comprehendunt.

Debilis, ignarus, male conscientius, irregularis & Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possunt.

Consectaria bujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Beneficiarius potest suo cedere Beneficio, si aliqua ex causis subsequentibus interveniat.

1º. Insirmitas corporalis, impediens ne Clericus possit servire Ecclesie. 2º. Defectus scientiæ competentis, necessariæ ad exercenda munia Beneficii. 3º. Malitia plebis, injuste etiam Beneficiarum odio habentis. 4º. Scandalum, quod aliter sedari non potest, quam per cessionem Beneficii; quia in illis casibüs, aut Beneficiarius non exhibet ministerium Ecclesiæ, aut si exhibeat, non cedit in bonum eorum, propter quos impendendum est illud ministerium.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant, qui re-

nunciant Beneficio, ad vitandum laborem; & vitam in otio transigendam; debent enim recolere exemplum D. Martini dicentis, *Dominus, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quod autem resignatio non debeat fieri nisi juxta Canones, Clarius patet, quam ut probatione cgeat.

P R O P O S I T I O II. Resignatio in favorem, per quam resignans designat suum successorem, est illicita & simoniaca, simonia Ecclesiastica.

Probatur. 1^o. Jure Canonico. *Can. Plenariae Saberdotes. Causa. 8a. q. 1a. & Can. Apostolica. Ibidem.* Prohibetur enim ibi Sacerdotibus successores sibi designare. Ergo talis designatione est Simoniaca simonia Ecclesiastica.

2^o. Ratione. Hæc resignatio in favorem coarctat ordinarii collatoris libertatem in spiritualibus, passionem & conventionem introducit, & quasi hereditariam quandam successionem: Ergo meritò ab Ecclesia prohibita est tamquam simoniaca.

Consecularia hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Resignatio in favorem facta in manibus cuiuscumque collatoris, excepto summo Pontifice, est nulla & illicita, quia solus Papa potest dispensare in simonia Ecclesiastica. Constitutione 58. Pii V. quæ iacipit. *Quanta Ecclesia.* Idem potest Rex jure regaliæ; quod haud dubie habet ex concessione Papæ.

C O N S E C T A R I U M II. Resignatio Beneficij, facta in manus ordinarii collatoris,

Num pacto expresse vel tacito , ut illud conferat certæ cuidam personæ , ab ipso resignante designatae , est illicita & simoniaca ; quia ita docet. Can. *Quam pio mentis.* Causa 12. q. 21. Ubi omnis pactio , omnis conventio , prohibetur in Beneficii renunciatione & collatione. Attamen post factam resignationem , licitum est resignanti manifestare collatori personam idoneam ad Beneficium ; quippe preces illæ , ut potè præcisè manifestantes meritum personæ , non sunt illicitæ , nec censentur cogere collatorem , nec impendire , ne liberè digniori conferat.

C O N S E C T A R I U M III. Ut plurimum resignatio cum expressâ vel tacitâ conditione regressus est illicita. Ita Trident. sess. 25. Cap. 7. *Nemini in posterum accessus , aut regressus , etiam de consensu , ad Beneficium Ecclesiasticum tujuscumque qualitatis concedantur.* In Gallia tamen ex usu permittitur regressus in tribus casibus. 1°. Si resignarius illud idem Beneficium sponte & ultrò resignanti offerat , & Episcopus judicet regressum ad majorem Dei gloriam conducere ; modò tamen in ipsâ resignatione nulla interveniat pactio de hujusmodi retrocessione. 2°. Si resignans in manus Episcopi , mortis causâ , Beneficium remiserit. Ita edictum Ludovici. 13. 1638. a. 20. 3°. In permutationibus si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci. Cap. *Si Beneficia. De Præbendis.* In 6°.

P R O P O S I T I O III. Resignatio in favorem maximam habet cum donatione affinitatem ideo iisdem conditionibus constare debet quibus coalescit donatio.

¶ Probatur ratione. Juxta præsentem Ecclesiæ praxim praxim, & communem modernorum Canonistarum Doctrinam Beneficium dat Beneficiario jus percipiendi redditus, quibus nutritri potest. Ergo æquum est, ut renuntiatio Beneficii facta per resignationem in favorem, fiat ad instar donationis, quæ eius donat, quod suum est; & ita quod resignation in favorem iisdem munitatur conditionibus, quibus munitur donatio.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *In quo explicatur, quæ personæ resignare valeant.* Hi solum possunt resignare, qui actu habent Beneficium, vel proximum jus ad Beneficium; si- cuti hi solum possunt donare, qui vel actu rem dandam possident, vel ad eam jus proximum habent; quia quilibet potest transferre in aliud jus, quod habet.

1º. Qui hic subjiciuntur possunt resignare.

Primo qui actu inierunt validam possessionem Beneficij; qui actu Beneficium illud possident. 2º. Qui signaturam pro aliquo Beneficio acceperunt, et si possessionem non dum inierint, nec examen subierint, nec professionem fidei fecerint; quippe per signaturam, & per verba ista, fiat ut petitur, perficitur gratia, conferens Beneficium, inquit Ranchinus. part. 4. Conclu. 29. Sic è contra, qui hic subjiciuntur, non possunt resignare, eo quod nemo transferre possit in aliud jus, quod non habet. 1º. Indulcarii, Graduati, mandatarii Apostolici; quippe ex vi indulti,

ex vi gradus, ex vi mandati, non habetur quoad Beneficia jus in re, sed solum jus ad rem. 2º. Ille, qui impetraturus est Beneficium ab ordinario, etiam post examen, post verbalem collatoris approbationem, si litteras provisorias actu non obtinuerit; quippe ex vi approbationis verbalis, ex vi examinis, non habet jus in re quoad Beneficia. Ut docet Boerius decis. 300.

II. Hi soli possessores Beneficiorum possunt resignare, qui criminibus non sunt impediti, minimè vero hi possessores, qui certis criminibus indigni facti sunt, ut possint validè resignare. Sicuti enim reis quorumdam criminum licentia donandi adimitur; ita & facultas resignandi Beneficia.

Sic rei criminum, quæ hic subjiciuntur, modo illa crima; vel ante resignationem vel post resignationem juridicè probentur, resignare non possunt. 1º. Rei criminis læsæ maiestatis in primo & secundo capite. Rei assassinii, rei Sodomiae. Ita Mornacius ad legem 6. Dig. *De his qui notantur infamia*. Tanta enim est illorum criminum atrocitas, ut etiam ante Sententiam reos reddat indignos ad resignandum. Sic è contra rei, qui hic subjiciuntur, possunt secundum jura resignare ante sententiam, imò post latam Sententiam, si ab eâ appellaverint; sicuti reis, pendente appellatione, jura permittunt Testamentum condere. 1. *Qui à latronibus.* ff. De Testamentis. Tales sunt rei cujuscumque criminis etiam capitalis. v.g. Homicidii extra assassinum, furti, &c Modò non sint de genere criminum supradictorum.

Qui actu possident Beneficium , vel jus in re habent ad Beneficium , possunt resignare , vel per se , vel per procuratorem modò dent mandatum speciale ; sicuti quilibet donare potest , vel per se , vel per procuratorem ea , quæ vel actu possidet , vel circa quæ jus habet in re ad possidendum.

C O N S E C T A R I U M II. *In quo explicatur quæ libertas requiratur in resignante.* Resignatio in favorem ita debet esse libera , & non coacta , ut illicita sit , & nulla , si coactio , dolus , metusvè , injustè incusus , interveniant : sicuti donatio est nulla , quando vis , dolus , metusvè , injustè incusus , interveniunt , & ita resignatio est nulla in sequentibus casibus. I. Omnis resignatio vi , dolo , metuvè injusto extorcta , est nulla.

C a p. *Super hoc. De renunciatione.* Tunc autem resignans potest obtinere regressum ; modò prober coactionem ; sicuti post donationem extortam potest obtaineri bonorum datorum possessio , modò probetur coactio. II. Resignatio facta à minore viginti quinque annis , non est quidem invalida , sed cassa fieri per restitutionem in integrum , si resignans velit resilire. Ita Rebuffus. titul. Qui sic incepit. *Ratione personæ & rei vitiatur resignatio.* Tunc enim præsumitur minorem deceptum fuisse. Inīd parentes & tutores minoris possunt petere pro minore restitutionem in integrum. III. Resignatio facta per procuratorem est nulla , si procuratio non sit specialis , si non sit facta coram Notario , si procurator terminos mandati tantisper excedat , si revocata fuerit , si intra annum non fuerit manda-

ta executioni; etenim si aliquis ex prædictis defectibus interveniat, mandatum vel censetur involuntarium, vel est contra formam constitutionis Henrici II & proinde nulla est resignatio, vi illius mandati facta; sicuti donatio, facta per procuratorem, est nulla, quando censetur involuntaria, vel quando est contra formam juris. IV. Resignatio in favorem, facta in manibus Papæ, vel in manibus Regis in tempore regaliæ, cum istis clausulis. *Non aliter, non alias, non alio modo;* non valet, nisi acceptetur juxa terminos, in resignatione præscriptos. Sicuti enim donatio conditionalis non censetur completa, si non observentur conditiones præfixæ; ita nec resignatio in favorem, si sit conditionalis. Jus enim gentium non permittit quemquam contra propriam voluntatem sine causâ bonis suis expoliari: & ita si resignans in favorem, resignet Petro; Papa, vel Rex, non possunt Beneficium conferre Paulo. Si resignans reservet sibi pensionem; & Papa nolit admittere illam pensionem, resignatio illa est nulla, & Beneficium quasi non dimissum censendum est. Atque idcirco si resignans moratur, Beneficium vacat per obitum. Si resignans superfit resignationi, retinendus est in possessione Beneficii, vel in eam restituendus est. Item Si Beneficium resignetur causâ permutationis, & hæc permutatio non admittatur, vel à Papa, vel ab Episcopo, vel ab eo, in cuius manibus sit permutatio, quilibet ex compermutantibus manet pacificus sui Beneficii possessor; quia cum hæc dimissio sit conditionata, censetur nulla, non admissis con-

ditionibus, sub quibus facta est. Clem. Unica De rerum permutatione. Bona quippe fides non patitur, ut quis sine culpâ rebus suis spolietur, & quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest. L. Id, quod nostrum est. ^{ff.} De regulis juris.

Demum ut completum censeatur Testamentum, hæres debet adire hæreditatem; ita ut completa censeatur resignatio, resignatarius debet adire possessionem Beneficij sibi resignati; potest autem per triennium differre ius beneficij aditionem: si ultra triennium differat, & resignans Beneficium à se dimissum possideat; in vi triennalis possessionis pacificæ, Beneficium remanet in possessione resignantis. Si autem ante sex menses elapsos à resignatione, resignatarius ineat possessionem Beneficij sibi resignati, valida erit aditio; sive ante mortem, sive post mortem resignantis possessionem ineat. Si vero ultra sex menses possessionem distulerit, eamque non inierit biduo integro ante insinuationem & ante mortem resignantis, nulla erit inita possessio, & Beneficium per obitum vacasse censembitur.

C O N S E C T A R I U M III. Ea resignatio est invalida & illicita, in quâ non observantur regulæ cancellariæ, in Galliâ communiter receptæ; sicut donatio est nulla, quæ non fit juxta regulas & leges in regno videntes. Tres autem sunt regulæ cancellariæ, in Galliâ receptæ, scilicet. 1^o. Regula. *De Infirmis.* 2. Regula de publicandis resignationibus. 3^o. Regula *De verisimili notitiâ.*

Sic ea resignatio est illicita, & nulla, in quâ

non observatur regula. *De insimis*, quâ determinatur, quod si resignans non vivat vigineti saltem diebus post resignationem factam, Beneficium censebitur vacare per mortem. Et ut ea regula exactè observetur, sub gravibus pœnis cavetur in Galliâ, ne quis celet mortem resignantis. *Defendons*, inquit Franciscus I. Galliarum Rex. an. 1539. a. 56: *la garde des Corps decedez . . . sous peine de confiscation des corps & des biens contre les Latiques qui en seront trouvez coupables, & contre les Ecclesiastiques, de privation de tout droit possessoire ex Benefices ainsi vacans, & de greffe amande à l'arbitration de la Justice*. Sic ea resignatio est illicita & nulla, in qua non observatur regula *De publicandis*, quâ determinatur, quod si resignatus non ineat possessionem Beneficii intrâ mensum, si resignatio facta sit in manus ordinarii; & intra sex menses, si resignatio facta sit in manus Papæ, Beneficium censebitur vacans per mortem, & ut ea regula exactè observetur, si resignatus finat resignantem pacifice sui Beneficio resignato, post tres annos elapsos, resignans vi triennalis possessionis censetur novum jus acquisivisile in Beneficio resignato, vi decreti *De pacificis*: idem habetur in edicto an 1646. Sic ea resignatio est illicita & invalida, in qua verisimiliter non intercessit tempus sufficiens, ut à die resignantis vacatio Beneficii ad notitiam collatoris, scilicet Papæ, vel Episcopi, potuerit pervenire.

ARTICULUS VI.

De Permutationibus Beneficiorum.

PERMUTATIO Beneficiorum est quædam species conditionalis resignationis, & sic, cum duo Beneficiarii unum, vel plura Beneficia summo Pontifici non reservata, in manus Episcopi, aut ejus vicarii, resignant, cum conditione, ut is postea vicissim alteri alterius Beneficium conferat, vocatis his, quorum interest. v. g. Vocatis patronis, in permutatione Beneficii Patronati.

PROPOSITIO unica. Permutationes Beneficiorum non possunt fieri privatâ conventione partium, sed solum autoritate Episcopi, qui non debet eas approbare, si advertat labem simoniæ intervenire; modò eam possit juridicè probare; alias cogeretur acceptare.

Probatur 1º. Jure Canonico. Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissâ, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem continet semper simoniæ. Si autem Episcopus causam inspicerit necessariam, licetè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt utilis, alibi se valeant utilius exercere. Cap. Quæsumus. De rerum permutatione.

2. Autoritate. D. Thomæ, nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis Contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest autoritate parium absque periculo si-

moniæ : sicut nec *Transactio*, ut jura determinant. Potest tamen *prælatus ex Officio suo permutationes hujusmodi facere pro causâ utili vel necessariâ.* 2. 2. q. 100. a. 1. ad 5.

3^o. Ratione. Beneficia non sunt possessio-nes temporales, quas pro libito, vel vende-re, vel permutare possimus, sed sunt jus exerceendi ministeria Ecclesiastica. Ergo eis cedere, vel ea permutare non possumus absque au^roritate Episcopi, cuius est de necessi-tate Ecclesiæ, & de majori utilitate minis-trorum judicare,

consectaria hujus Doctrina.

C O N S E C T A R I U M I. Nulla est permu-tatio, si interveniat, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio; quia permutatio est species resignationis conditio-nalis; & ita si alter permutantium det aliquid temporale pro spirituali, permutatio erit nul-la & simoniaca. Cap. *Quæstum.* De rerum permutatione. Vide dicta de simoniâ in tomo 2. Unum huc addidero, non excusari, sed damnari eas resignationes, aut permutaciones Beneficiorum, quæ adjunctos habent contrac-tus, quibus aut Bibliotheca, aut supellecilia, aut domus, vel fundi venduntur, aut resig-natario, aut compermutanti, & quidem lon-gè majori pretio, quam valeant. *Experientia enim docet*, ut dicit Concil. Rothom. ann. 1581. de Episcop. Officii. c. 17. *hoc unum esse velamen ad contegendarum simoniæ invenitudo-nem, & malitiam.*

C O N S E C T A R I U M II. Illicita est, &

nulla permutatio Beneficiorum sine autoritate Episcopi, vel si fiat in manibus Laici, vel si fiat in manibus inferioris, v. g. Si Abbas vel prior, permutent in manibus sui Vicarii. Quod si duo Beneficiari permutent sine autoritate Episcopali, potest uterque suo Beneficio privari. Cap. *Cum olim.* De rerum permutatione. Si permutent in manibus Laici, suo Beneficio uterque privatur. Can. *Non oportet* 7. q. 1. Item si permutent in manibus inferioris. Cap. *Ulti.* De rerum permutatione.

CONSECTARIUM III. Illicita, & nulla est permutatio Beneficii, quæ sit non vocatis vocandis, v. g. Non vocato Patrono in Beneficiis Patronatis. Vocato & consentiente Patrono Laico, permutatio valet; si vero dissentiat, nulla est permutatio. Requisito, quamvis non consentiente Patrono Ecclesiastico, permutatio valet; quia licet iste dissentiat irrationabiliter, permutatio est valida, si Episcopus ita judicet.

CONSECTARIUM IV. Permutatio est illicita, si fiat permutatio rerum diversi generis, v. g. Si Beneficium non permuteatur cum Beneficio, sed cum aliquo bono temporali. Cap. *Exhibita.* De rerum permutatione.

CONSECTARIUM V. Permutatio est illicita, si compermutantes non habeant uterque provisiones sui Beneficii. Ut docet Rebussus de Beneficiorum permutatione. Num. 23. sicuti enim rem, cuius Dominium non habemus, non possumus donare, ita nec permutare.

CONSECTARIUM VI. Peccant Epis-

copi, si permittant fieri permutationes, cum manifestè adest aliquis ex prædictis defectibus, qui permutationes, vel invalidas, vel illicitas reddunt; imò cum adest magna suspicio fraudis & doli; quia idè sunt Episcopi, ut gregi suo invigilent; & quia rei sunt non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt factientibus.

Suspicio autem fraudis & doli est in sequentibus permutationibus. 1°. Cum permutationes fiunt in articulo mortis; tunc enim præsumptio est agrotum non consentire permutationi, nisi quia utget morbus, & quia tempus non sufficit, ut resinet in manibus summi Pontificis. Cap. *Quia verisimile.* De præsumptionibus. 2°. Cum permutationes fiunt inter consanguineos; tunc enim præsumptio est eas permutationes assumi, ut hereditaria fiant Beneficia. 3°. Cum adest suspicio fraudis, Beneficium potest impetrari.

ARTICULUS V.

De Pensionibus.

PENSIO est jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio.

Pensio est duplex, Clericalis & Laicalis.

Pensio Clericalis est ea, quæ datur Clerico, & fundatur, vel in ministerio spirituali, vel in paupertate Clerici. Talis est pensio, quæ datur concionatori, & coadjutori Episcopo, qui serviunt Ecclesiæ.

Pensio Laicalis est ea, quæ datur Laïco, & fundatur, vel in Ministerio temporali Laï-

ci, vel in paupertate Laici, vel ratione donorum, à majoribus ejus factorum Ecclesiæ. Talis est pensio, quæ datur cantori, Patrono, defensori Ecclesiæ, qui serviunt temporaliter Ecclesiæ, & successoribus fundatoris, ad inopiam redactis. Talis est etiam Pensio, quæ datur quibusdam Laicis pauperibus.

PROPOSITIO unica. Pensiones cum debitis conditionibus non sunt illicitæ.

Probatur I. Autoritate Concilii Calcedonensis. Act. 9. In quo Maximus Patriarcha Antiochenus rogit Concilium, ut Domno ejus prædecessori, licet deposito, pensio aliqua destinetur ex Ecclesiæ redditibus, unde sustentari posset. Siquidem Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de suâ Ecclesiâ, miserationis intuitu, prout aestimaverit, largiatur; ut contentus almonijs, quiescat in posterum; quæ propositio approbata fuit, & à Patribus Concili, & à Legatis Papæ. In eodem Concilio dicitur. *Bassianus & Stephanus habeant dignitatem Episcopi, & ex redditibus memoratae Sanctæ Ecclesiæ, nutrimenti gratiâ & consolationis, annis singulis solidos aureos ducentos accipiant.* Act. 10, & Act. 14. *Sabianus verò Reverendissimus Episcopus dignitatem Episcopalem habeat, & substitutus sit, & pascatur.* Et ex D. Greg. Lib. I. Epist. 43. *Episcopi expulsi ab hostibus juxta possibilitatem sufficientiæ debent alimenta percipere.* Et Clem. III. jubet Sacerdotem leprâ percussum removeri, ita tamen ut juxta facultates Ecclesiæ sibi necessaria, quændiu vixerit, ministrentur.

2º. Ratione quæ affectur à Congregatione

Cardinalium, qui jussu Pauli 3. Congregati sunt Romæ 1537. Quam rationem juvat sic contrahere. Redditus sunt annexi Beneficio, ut corpus animæ; idè naturâ suâ pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis honestè vivere, simulque queat pro divino cultu impensas sustinere, & reliquum impendat in pios usus. Verum sicuti in rerum naturâ, quoniam nonnulla fiunt in naturâ particulari per naturam universalem, quæ excedunt naturam particularem: ita summus Pontifex, qui est quasi natura universalis, potest in causâ legitimâ redditus Beneficiorum, quibus fuerit opus, applicare. Ergo potest Beneficiorum redditus minuere & in pensiones justas dividere.

S. I.

De his, qui possunt imponere pensiones.

PENSIONES super Beneficia resignata non possunt constitui regulariter, nisi autoritate summi Pontificis.

Probatur 1º. Jure Cononomico. Caput. Ut nostrum. Jubet ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur; ibique statuitur, quod redditus Beneficii non separantur à Beneficio, sine autoritate summi Pontificis.

2º. Ratione. Ex jure Ecclesiastico in Collatione Beneficii omnis pactio vitanda est; pensio autem pactio importat. Ergo pensio est contra jus Ecclesiasticum; solus autem Papa potest dispensare in jure Ecclesiastico. Ergo solus potest inducere pensionem. De-

mùm ex factis constat, quod vel solus Papa; vel Concilia generalia, pensiones statuerint. Ergo ad solum Papam vel ad Concilia Generalia pertinet pensiones statuere.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant, qui autoritate privatâ paciscuntur de pensione super beneficio resignato, eamque exigunt, licet autoritate Pontificis non fuerit confirmata, tenenturque ad restitutionem, quæ restitutio debet fieri eo modo, quo fit restitutio De rebus simoniace acceptis. Vide dicta de simonia.

CONSECTARIUM II. Peccant, qui habentes aliundè ex bonis propriis, unde vivant, Beneficiis resignatis pensiones imponunt; quia extra necessitatem, Beneficiorum fructus non scindi debent, juxta hanc regulam. *Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Quod item patet; quia in ipsis scriptis Apostolicis hæc additur clausula. *Ne in rebus suis nimium dispendium patiatur.*

CONSECTARIUM III. Peccant, qui imponunt pensionem super Beneficio resignato, etiam si accedat consensus summi Pontificis, si id fiat sine justâ causâ. De motivis instituendi pensiones dicetur infrà.

MONITUM. Dixi, quod regulariter pen-
sio beat̄ institui, & confirmati autoritate
Papæ, sunt tamen casus, in quibus pen-
siones possunt statui autoritate solius Episcopi.
I^o. Propter paupertatem & senium Clericis re-
signantis. Ita censet Sylvius in D. Tho. 2. 2.

¶ 100. Stilus tamen curiae Romanae est, ut reseretur Papæ creatio etiam istius pensionis.
 2°. Propter litis compositionem; cum enim duo litigant de Beneficio, & jus obscurum est, potest Episcopus, tamquam judex vel arbiter, uni pensionem, alteri Beneficium assignare.
 Cap. *Be cetero.* De Transactionibus. 3°.
 Propter Seminatii contributionem Trid. sess.
 23. Cap. 18. 4°. Propter Vicarii sustentationem, quando Beneficiatus non potest, vel ob infirmitatem, vel ob infirmitatem, vel ob alias causas, Beneficij munus exercere. Trid. sess. 4.
 Cap. 6. De refor. In Gallia tamen pensio in foro exteriori negari poterit, nisi fuerit à summo Pontifice confirmata.

De motivo pensionis constituende.

Ut pensio sit licita, sequentes conditiones sunt observandæ.

1°. Pensio debet statui per modum eleemosynæ, ad sublevandam hinciam Clerici, vel Laici. Illud patet ex Concilio Calcedonensi supra citato, ubi constat pensiones esse constitutas miserationis intuitu, nutrimenti, vel alimentorum, seu necessariorum gratiâ; quia ex Concil. Aquisgranensi. an. 816. Can. 116. *Res Ecclesiæ vota sive fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Et Cardinales citati in Congreg. habitâ sub Paulo 3. aiunt. *Nullâ aliâ de causâ, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam Eleemosinas, quæ in piis usus & indigentibus concedi solent.* Sic pensio statui non potest ob solam permissionem Beneficij pinguioris cum minus pin-

gui, nec ob resignationem in favorem, nec pacis causā, vel litis sedande gratiā, si Clericus recepturus pensionem habeat ex redditibus Ecclesiæ, ad victum & vestitum necessaria. 2°. Pensio non debet excedere tertiam partem fructuum juxta constitutionem Caroli. v. i. 3°. Soluta pensione, debet adhuc superesse Beneficiato Congrua portio trecentarum libratum præter oblationes quotidianas. 4°. Requiritur, ut qui exigit pensionem, per quindecim annos Beneficii functiones exercuerit, vel saltem in illis exercendis contraxerit morbum, quo reddatur inhabilis ad serviendum Beneficio. Ita editum Ludovici 14. Vide acta Cle-
gi Gallicani. Tom. I. Parte. 2. Tit. 13.

ARTICULUS VI.

De variis Beneficiorum Collatoribus juxta praesentem Ecclesiæ Gallicanæ usum.

S. I.

Quia, & quot sint Collatores Beneficiorum in Gallia.

NO T A 1°. Quod Episcopus est naturalis collator omnium Beneficiorum suorum Diœceseos. Ut enim ad Episcopum pertinet Clericos suorum Diœceseos ordinare; ita ad eum spectat Clericos Ecclesiæ alicui astringere, & eis redditus Ecclesiasticos, quibus vivere queant, assignare; quod idem est ac Beneficium conferre. Antiquitus enim nullus ordinabatur Clericus, nisi alicujus Ecclesiæ & ministerio astringeretur.

DE BENEFICIS ECCLESIASTICIS. 293

Nota 2°. Quod Episcopus , tum in ordinandis Clericis , tum in assignandis redditibus Ecclesiasticis , Capitulum consulebat ; inde factum est quod post separationem reddituum Episcopaliū a redditibus Capituli , Collationem Beneficiorum inter redditus computare voluerit ; & proinde Beneficia Ecclesiastica conferre ; ideo juxta varias inter Capitulum & Episcopum conventiones , aliquando Episcopus confert omnia Beneficia , aliquando Capitulum ; & interdum Capitulum confert aliqua Beneficia , Episcopus vero alia.

Nota 3°. Quod Papa , ut potest ordinarius ordinariorum , censet sui juris esse , si velit , conferre singula Beneficia , quae vel Episcopus , vel Capitulum , conferre solent. Ideo Papa multis titulis conferre potest multa Beneficia. Ut dicemus infra.

Nota 4° Quod Beneficia multa Ecclesiastica redditus suos temporales acceperunt ex liberalitate , vel Regum , vel subditorum , sive Laicorum , sive Ecclesiasticorum ; qui omnes reservarunt sibi aliquando jus praesentandi ad Beneficia , quae fundaverant , & Patroni dicti sunt ; atque ideo Collatores Beneficiorum sunt Papa , ejusque Legati , Episcopus , Capitulum , eorumque Vicarii , Monasteria Monachorum , vel Monialium , Rex , Patroni Laici , vel Ecclesiastici. De quibus omnibus collatoribus sigillatum agendum.

§. II.

Quibus regulis adstringantur collatores Beneficiorum in Gallia.

R E G U L A 1a. Beneficii Collator, habens jurisdictionem spiritualem, qualis est v. g. Papa, ejusque Legatus, Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, Capitulum & ejus Vicarius Generalis, si quem habeat in conferendo Beneficium, nihil debent attentare, quo directe vel indirecte temporale Regum, vel ejus subditorum attingant.

Probatur. Si in Collatione Beneficiorum attingeretur temporale per collatorem spiritualem, interveniret *Abusus*; hæc est enim præcipua libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ut impetraret Ecclesiasticus jurisdictionem suam spiritualem, neque directe, neque indirecte extendat ad temporale.

Regula 2a. Collator non habens jurisdictionem spiritualem, sed solum facultatem praesentandi, qualis est Rex & Patronus quilibet, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, in conferendo Beneficio, debet solum praesentare, & nihil attentare, quod directe, vel indirecte attingat institutionem Canonicam.

Probatur. Si Collator Beneficiorum, habens jurisdictionem spiritualem, attingeret institutionem Canonicam, attingeret spirituale, & ita interveniret, ut loquuntur, *intrusio*. Potestas enim spiritualis, qualis est institutio Canonica Beneficii, non potest nisi ab habente jurisdictionem spiritualem conferri.

Regula 3a. Ut etque Collator scilicet ille, qui habet jurisdictionem spiritualem, & ille, qui habet solum vim praesentiandi, nil debent agere contra usum Gallorum, contra concordatum, inter Franciscum primum & Leonem decimum initum, nec contra concordata particularia, inter particulares Collatores inita.

Probatur. Si Beneficiorum Collatores agerent contra usum Gallorum, & contra concordatum, interveniret *abusus*. Unum est enim Caput libertatum Ecclesiae Gallicanæ, quod jurisdictione Ecclesiastica, & Collationes Beneficiorum, fiant juxta Concordata, in Ecclesia Gallicanâ communiter recepta.

Ex tribus predictis regulis educuntur Consecaria in sequentibus Paragraphis explicanda.

III.

De Collatoribus, Jurisdictionem spiritualem habentibus.

Quales sunt Papa, Episcopus, Capitulum, eorumque Vicarii Nota, quod collatores, spiritualem jurisdictionem habentes, propriè conferunt Beneficia; quia dant institutionem Canonicam, alii vero, vel solum nominant, vel presentant Collatori eum, qui instituens est.

CONSECTARIUM I. *De Beneficiis que Papa non potest conferre sine Regis licentia.* Papa non potest conferre, sine Regis licentia, ea Beneficia, quorum Collatio pertinet ad Regem, vel jure Regalis, vel jure Patronatus, vel jure recentis consecrationis Regis,

vel jure fundationis Regiae, vel jure Concordati, vel Indulti; quia si Papa haec Beneficia Conferret sine Regis Licentiâ, attingeret temporale Regum: potestas enim conferendi Beneficia inter redditus temporales Regis recensetur à Doctoribus Galliae. Item non potest conferre sine Patronorum licentiâ ea Beneficia, quorum nominatio pertinet ad Patronos Laicos; quia si Papa haec Beneficia conferret, attingeret temporale subditorum Regis: jus enim Patronatus Laici inter temporales redditus numeratur.

Si Papa Beneficia, quorum nominatio pertinet ad Regem, vel ad Patronos Laicos, conferre nequeat, eadem Beneficia conferre nequeunt, Episcopus, vel Capitulum; quia nequeunt attingere, etiam indirecte tempora-
le Regum, vel subditorum.

C O N S E C T A P I U M II. *De personis, quibus Papa etiam ea Beneficia, quorum est collator, non potest conferre.* Papa etiam ea Beneficia, quorum est collator, si sita sint in Regno Galliae, non potest conferre extraneis, sed adstringitur ea conferre solis regni Galli-
ci incolis; si enim ea conferret extraneis, attingeret temporale Regum, vel redditus Ec-
clesiasticos extrahendo è Gallia, vel extraneos in Galliam introduceendo contra Regis volun-
tatem. Si Papa ea Beneficia, quorum est collator, si sita sint in Gallia, non potest
conferre extraneis, illud idem præstare ve-
queunt Episcopus, & Capitulum; quia ne-
queunt attingere temporale Regum.

C O N S E C T A R I U M III. *De Beneficiis, quae Papa potest conferre.* Papa, exceptis Be-

neficis , de quibus in superioribus Consec-
tariis , potest conferre quæcumque Beneficia ,
quoquo modo vacantia , sive vident jure or-
dinario , sive jure concursus , sive jure præ-
ventionis , sive jure devolutionis ; quia est
ordinarius ordinariorum ; & quia , ut ait Gre-
gorius Magnus Can. Decreto 2. q. 6. Eccle-
sia Romana suas Dices ita aliis imperititur Ec-
clesias , ut in partem sint vocatae sollicitudi-
nis , non plenitudinis potestatis. Idem habe-
tur Cap. Licet Ecclesiarum. De Præb. In 6.
& Clemen. Cap. Si duobus. Ut lite pendente.
Sic jure ordinario Papa confert Beneficia ,
non quidem curata , sed alia quæcumque va-
cantia in curiâ Romana , id est ea Beneficia ,
quorum titulares obeunt , vel Romæ , vel in-
tra duas dietas legales. Ita habetur. Cap. Li-
cet Ecclesiarum. 2. De Præb. in 6. Si autem
Papa non ea conferat intra mensum à die obi-
tus , decidit suo jure , & Collatio ad Ordinarium devolvitur. Ita habetur. Cap. Stati-
tum. Ibidem. Sie jure præventionis , Papa
præveniens ordinarium collatorem , confert
omnia Beneficia , quæ à Collatoribus ordina-
riis conferri possunt , v. g. Ab Episcopo , Ar-
chiepiscopo , Capitulis , imo à Patronis Ec-
clesiasticis ; quia est ordinarius ordinariorum ,
Patronus Patronorum Ecclesiasticorum. Imò
prævenit omnes indultarios , & Graduatos ,
& mandatarios , quippe favores concessi à
Papa , ipsi nequeunt præjudicium afferre ,
cum ve jure ordinario privare. Sic jure con-
cursus , quando idem collator contulit Bene-
ficium duobus eodem anno , eodem mense ,
& die ; vel diversi collatorcs eodem anno .

codem mense, & die ; vel diversi collatores codem anno, mense & die, idem Beneficium duobus contulerunt : in tali concursu utraque collatio est nulla, & Papa *jure concursus* potest illud Beneficium conferre, & prævalet ejus collatio. Ita habetur in terminis. Tom. 2. Du Journal des Audiences, lib. a. Chap. 15. Sic *jure devolutionis* quando cellator ordinarius, v. g. Episcopus, Capitulum infra sex menses, Patronus Ecclesiasticus *infra* pariter sex menses; Laicus *infra* quatuor menses, non conferunt Beneficium, collatio devolvitur ad superiorem, v. g. à Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitanu ad Primatem, & à Primate ad Papam, & à Patrono, tum Laico, tum Ecclesiastico ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitanu ad Primatem, & à Primate ad Papam: quo in casu confert Beneficia *jure Devolutionis*. Cap. *Licet Magister*. De supplendâ negligentia prælatorum, & Cap. *Nulla Ecclesiastica*. De Concessione Prebendæ. Sic *jure Concordati* inter Franciscum Primum Regem Galliæ & Leonem decimum Papam initii, solus Papa post nominationem Regiam potest conferre omnia Beneficia Conistorialia, in Concordato expressa; qualia sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, & Abbatia Regulares, quæ dantur in commendam.

Sic *jure Mandati*, Papa potest certa Beneficia, per mortem solum vacatura, certæ personæ, per mandatum designatæ, adscribere; runc collator, cui intrimatur mandatum cum debit is formulis, tenetur Beneficium conferre personæ per mandatum Apostolicum designatæ.

natæ , modo eas dôtes habeat , quæ vel ex vi Canonum , vel ex vi fundationis requiruntur in eo , qui tale Beneficium debet accipere . Collator non potest nisi semel in vitâ subjici Mandato Apostolico ; si habeat solum decem Beneficia , quorum sit Collator , unum tantum Beneficium potest subjici Mandato Apostolico . Si quinquaginta habeat , tunc duo solum Beneficia mandato Apostolico subjiciuntur . Ab eo onere eximuntur Beneficia Patronatus Laïci , Beneficia Electiva , Beneficia tempore Regaliae vacantia . Item Bursæ Collegiorum , & Commendæ Ordinis Melitensis .

Sic jure particularium concordatorum , quæ Papa iniit cum quibusdam Provinciis Galliæ , v. g. cum Britanniâ , Papa ante datum indulsum ad movendos Collatores Ecclesiasticos ad residentiam , confert Beneficia Vacantia in mensibus Januarii , Aprilis , Maii , Iulii , Augusti , Octobris , Novembris ; ordinarii vero Collatores conferunt Beneficia vacantia in aliis mensibus , & Papa his mensibus non potest prævenire Collatores ordinarios , nec præveniri à Collatoribus ordinariis . Post vero collatum indulsum ad movendos Ecclesiasticos Collatores ad residentiam , tunc Papa & Collatores ordinarii conferunt Beneficia alternis mensibus , Papamense Januario , Collator ordinarius mense Februario , & sic alternatim usque ad finem anni .

CONSECTARIUM IV. De his , quæ potest Papa circa Beneficia , concedendo dispensationes canonicas & validas . Solus Papa potest in Conferendis Beneficiis dispensare circa

ea, quæ exigunt dispensationem à Canonibus, in Ecclesiâ universaliter receptis; quia solus Papa, ut diximus ubi de dispensatione à lege, potest in omnibus dispensabilibus dispensare. Ut loquitur D. Thom. Sic solus Papa potest omni tempore resignationem in favorem admittere; solus potest permutationes cum pensione admittere; quia hie intervenit simonia Ecclesiastica, quam solus Papa potest purgare. Sic solus Papa potest dare Beneficia regularia sacerdotibus, & secularia regularibus, conferendo in commendam. Ut dicunt; quia solus Papa potest dispensare ab hac regulâ, sacerdotiis, sacerdotibus, regulariis, regularibus. Sic solus Papa potest dispensare circa incapacitatem Beneficiariorum, tum ratione ætatis, tum ratione irregularitatis. Potest & permettere pluralitatem Beneficiorum incompatibilium; quia dispensatio à Canonibus ad solum Papam pertinet. Quæ cautio-
ne & peti & dari debeant hæ dispensationes, diximus in primo tomo; ubi de dispensationibus.

C O N S E C T A R I U M V. De Legatis Papæ in Galliâ. Legatus Papæ in Galliâ non utitur jure delegationis, nisi ejus litteræ fuerint priùs à curiâ Parisiensi examinatae; & post illud examen non utitur jure delegationis, nisi juxta tenorem, acceptatum à curiâ Parisiensi; & ita non potest conferre Beneficia, nisi juxta tenorem, per curiam Parisensem admissum.

§. IV.

De Episcopo, & Archiepiscopo, & eorum
Vicario Generali.

CONSECTARIUM I. Episcopus & Archiepiscopus jure ordinario possunt, cui voluerint, modò sit dignus, conferre Beneficia sacerdotalia suæ Dioceseos, imò Beneficia regularia, curata. Ut habetur causâ 16. q. 1. Ubi sic legitur. *Omnes basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, ut in ejus potestate consistant, in cuius territorio sitæ sunt.* Idem habet concordatum, & usus Ecclesiæ Gallicanæ.

CONSECTARIUM II. Episcopus, Archiepiscopus, jure concordatorum specialium, debent conferre Beneficia non curata juxta concordata, quæ inierunt, vel cum Capitulo, vel cum aliis collatoribus; quia stare debent concordatis initis, vel à se, vel à suis prædecessoribus.

Sic in quibusdam locis Episcopus confert omnia Beneficia Capituli; in aliis locis Capitulum confert omnia; in aliis vero locis certa confert Capitulum, certa Episcopus; quod determinatur juxta variam cuiuscumque Dioceseos consuetudinem.

CONSECTARIUM III. Episcopus, Archiepiscopus jure Patronatus, jure Indulctorum, jure Graduatorum, astringuntur conferre Beneficia, vel Indultario, vel Graduato, vel ei, quem Patronus presentaverit, si ejus

indignitatem probare nequeant in foro exteriō; tunc enim non sunt plenē liberi in conferendis illis Beneficiis , sed solum dant institutionem Canonicam , quam nos *visa*. Vocamus ; quam institutionem Canonicam , si Episcopus sine justā causā negaverit , recurritur ad Metropolitanum.

C O N S E C T A R I U M IV. Vicarius Episcopi , aut Archiepiscopi , post acceptas litteras , easque inscriptas & insinuatas , ut dicunt , non potest conferre Beneficia , nisi juxta tenorem , sibi ab Episcopo , aut Archiepiscopo præscriptum ; quia non habet nisi jurisdictionem delegatam . Cap. *Finali.* De Officio Vicarii. In 6 Item mortuo , aut excommunicato Episcopo , nihil potest ejus Vicarius Generalis , quamvis Delegatus ab Episcopo possit negotia incepta perficere ; Vicarius enim Generalis habet unum & idem cum Episcopo Tribunal , quod vigorem nullum habet , mortuo aut excommunicato Episcopo ; Delegatus vero ab Episcopo diversum cum eo habet tribunal ; quamvis inferius . Vicarius Generalis post acceptas litteras , quibus in suo Officio constituitur , potest ea omnia , quæ moram non patiuntur : v. g. potest dare litteras dimissorias ad ordines. Cap. *Cum nullus.* De temp. ordin. in 6. Potest confirmare eum , qui Canonicè electus est. Cap. *Ex frequentibus.* De institutionibus. Item potest dare institutionem Canonicam iis Clericis , qui ex licentiâ Episcopi sua Beneficia invicem permutarunt : ut colligitur ex eodem capite ; quia hæc singula moram non patiuntur.

De Capitulo ejusque Vicario.

C O N S E C T A R I U M I. Capitulum iure ordinario potest omni tempore , ea conferre Beneficia , quorum est Collator ex vi Concordatorum particularium , quæ inita fuere cum Episcopo ; potest etiam conferre ea Beneficia , quæ pendent ex electione Canonicorum ; quia Capitulum est Collator ordinarius eorum Beneficiorum. Id colligitur ex Cap. Unico. *Ne sede vacante. In 6.*

C O N S E C T A R I U M II. Capitulum Cathedrale , sede vacante , succedens jurisdictioni Episcopali , ea solum potest , quæ moram non patiuntur ; ea autem nequaquam potest , quæ venturo Episcopo nocere possent ; sede enim vacante , nihil innovandum. Cap. *Illa devotionis.* Ne sede vacante. Sic Capitulum , sede vacante , potest approbare Confessarios , dare litteras dimissorias ad ordines recipiendos ; sed iis solum , qui sunt arctati , id est iis , qui debent recipere ordines , ut ministrent fidelibus , suoque serviant Beneficio. Cap. *Cum nullus. Verbo. Episcopo.* De temp. ordin. in 6. Potest dare institutionem Canonicam Beneficiario , per Patronum nominato , aut ei , qui ex consensu defuncti Episcopi permutavit Beneficium. Ita Rebuff. § *Si quis vero.* De Coll. in concord Item potest absolvere excommunicatos. Cap. *Cum olim.* De majorit. & obedien. Prædicta enim omnia moram non patiuntur. Sed Capitulum non potest conferre Beneficia , neque graduatis , neque indultariis ; ut censet Corra-

suis, neque aliis Clericis; quia Collatio Beneficiorum est in fructu & cum fructu. Ut dicunt: & ita sede vacante, vel ad Regem pertinet jure Regaliæ, vel ad futurum Episcopum reservatur, tamquam emolummentum Episcopatūs.

S. V.

De iis Collatoribus Beneficiorum, qui non habent jurisdictionem spiritualem, scilicet de Rege, de Patronis, &c.

N O T A. Qui non habent jurisdictionem spiritualem, in rigore loquendo, non conferunt Beneficia; sed presentant, aut nominant eum, cui Collator Ecclesiasticus, habens jurisdictionem spiritualem, dat institutionem Canonicam.

De Rege, quatenus est Collator Beneficiorum.

Rex potest Conferre Beneficia multis titulis. I^o. Jure Regaliæ. II. Jure adventū ad Coronam. III. Jure Patronatūs. IV. Jure Foundationis. V. Jure Indulti. VI. Jure Concordati, initi inter Leonem X. & Franciscum I. Galliarum Regem.

C O N S E C T A R I U M I. Juxta primum Curia Parisiensis & declarationem Ludovici XIV. an. 1682. Rex jure Regaliæ, sede Episcopali, aut Archiepiscopali vacante, exceptis Beneficiis Curatis & purè electivis, id est, quæ conferuntur viâ electionis, per solum Capitulum faciendæ, & non viâ electionis faciendæ per Episcopum & Capitulum. Rex, inquam,

illis exceptis Beneficiis , confert omnia & singula Beneficia , quæ conferuntur ab Episcopo , aut Archiepiscopo ; quia Regalia , ut dicunt , est jus , quo Rex per aconomum percipit omnes fructus Episcopatus , aut Archiepiscopatus vacantis ; & quia Collatio Beneficiorum censetur esse in fructibus , ideo confert Beneficia ; sed quia Collatio Beneficii Curati , habentis regimen animatum , aut Collatio Beneficii pure electivi supponit juris , dictionem spiritualem quam Rex non habet ; ideo Rex tempore Regaliz , non confert Beneficia Curata , vel pure electiva , id est , quæ conferuntur viâ electionis , per solum Capitulum faciendæ ; ea vero Beneficia , quæ sunt electiva electione facienda , & à Capitulo , & ab Episcopo , Rex juxta quosdam doctores conferre potest , non quidem eligendo , sed nominando , non instituendo , sed præsentando . Sic , juxta praxim ejusdem Curiæ Parisiensis , Rex jure Regaliz Confert omnia Beneficia , quæ Episcopus & Archiepiscopus Confere potuissent ; quia gaudet , inquiunt , privilegio Episcopi ; sed Confert superiori & eminenti modo : Ea enim Beneficia Confert , quoquemodo videntur ; sive de jure , id est , si Beneficiarius sit in possessione Beneficij sine justo titulo ; sive de facto , si Beneficium à nullo possideatur : quocumque modo Beneficium Concipiatur vacare ; sive per permutationem , sive per mortem : Rursus sive vacet mensibus graduatorum , sive tempore indultis ; inò etiam si vacet in Curiâ Romanâ ; quia Rex nullum agnoscit in jure Regaliz superiorem . Ita Chopinus . lib. 2. De sacrâ poli-

tiâ Titu. 7. Sic . juxta jurisdictionem supremâ Curiae Parisiensis , Rex tempore Regaliæ admittit resignaciones in favorem , uti Papa , permutationes uti Episcopus , dispensat in omnibus regulis Cancellariæ Romanæ ; quia non agnoscit superiorem nisi in spiritualibus. Ita Lovet R. 47. Una cum Brodeau. Sic etiam Rex tempore Regaliæ Confert omnia Beneficia , quæ Episcopus cum Capitulo per electionem Conferre solet ; quia gaudet jure Episcopi. Circa autem Beneficia , quæ ab Episcopo & Capitulo per electionem conferuntur , si quam jurisdictionem spiritualiem ea Beneficia habeant , qualia sunt , v. g. Decanatus , Archidiaconatus , &c. Qui hæc Beneficia per Regaliam acceperunt , tenentur sistere se , vel Episcopo , vel Capitulo , ut examen subeant , tum circa mores , tum circa scientiam , & Rex permittit , ut si digni sint , admittantur , si indigni , rejiciantur , datis tamen in scripto causis , propter quas non admittuntur. Ita edictum Ludovici decimi quarti.

Juxta Declarationes Ludovici decimi quarti. Anno 1682. Clero Gallico consentiente , omnes Episcopatus Galliæ , Regaliæ subditi sunt , his exceptis , qui titulo oneroso liberauerant se à tali jure.

Regalia incipit à tempore Sedis vacantis ; & non clauditur , nisi cum novus Episcopus juramentum præstítit fidelitatis , jusque Regaliæ à solâ Parisiensi curia judicatur.

C O N S E C T A R I U M II. Rex jure indulti confert semel tantum unum Beneficium euscumque Collatoris , vel Sæcularis , qualis est Episcopus , quale est Capitulum sæculare;

vel regularis , qualis est communitas regularis ; confert , inquam , vel Cancellario , vel Præsidi , vel Senatori Curiæ Parisiensi , aut personæ designatæ per Cancellarium , aut per Senatorem , vi illius indulti , à Papâ concessi , & per litteras Regias collatori intimati , collator astringitur conferre Beneficium , quod 1^o. Vacat à die , quo ipsi innotescit indultum : si indultum rejiceret collator , indultarius ejus executionem persequeretur coram Abbatे Sancti Victoris . Indultarius potest semel tantum in vita uti privilegio indulti , & collator non potest nisi semel in vita hoc onere gravari , & communitas , v. g. Monasterium non potest eodem onere gravari , nisi semel per vitam Regis . Totum istud patet ex Bullâ Eugenii quarti , & ex bullâ Pauli tertii , quibus jus illud statutum est . Ita habetur . Mem. du Clergé , 2. p. tit. 9.

C O N S E C T A R I U M III. Rex jure adventus ad coronam , seu ratione consecrationis , potest conferre quamcumque primam Cathedralis Ecclesiæ Præbendam , quæ vacat à die , quo Rex coronatus est , & quamcumque Præbendant , cuius Episcopus est Collator , quæque vacat à die , quo novus Episcopus juramentum præstít fidelitatis . Jus illud , litesque , quæ circa illud agitantur , à solâ curiâ Parisensi judicantur . Ita habetur . Mem. du Clergé , 2. p. tit. 8. & Declar. du Roy 22. Octob. 1612. & Declar. 15. Mars 1646.

C O N S E C T A R I U M IV. Rex jure Patronatus confert ea omnia Beneficia , quorum ipse est Patronus , aut quorum nobiles viri Ep-

troni fuerunt, quorumque juri Rex successit; Rex etenim non est pejoris conditionis, quam Patroni privati. Si ergo Patronus quilibet præsentet instituendum ad Beneficium, cuius est Patronus; id poterit & Rex. Ut autem quilibet sciat, quæ sunt Beneficia, quorum Rex est fundator; hinc ea Gallicè recenso.

Les Benefices cy-dessous énoncés sont de fondation Royale. 1°. *Les Canoniciats de St. Sauveur à Blois, de St. Fourcy à Peronne, de Nôtre Dame à Clery, de St. Pierre au Mans, de Nôtre Dame à Eustampes, de St. Spire à Corbeil, de St. Estienne à Troyes, de St. Melon à Pontoise, de St. Florentin à Roye, de la Vierge à St. Quentin, de Toussaints à Mortaignes, de la Ste. Chapelle à Paris, à Dijon, à Bourges, de St. Volfran à Abbeville, de St. André à Grenoble, des Prieurez du Val de choux. Voyez Chopin. liv. de la Police. tit. 1. n. 18. On en decouvre tous les jours des nouveaux, qu'on ne peut apprendre, que de ceux qui étudient le droit du Domaine du Roy.*

CONSECTARIUM V. *Jure fundationis Regiae, Rex confert omnia Beneficia, quæ sunt fundationis Regiae; quia est specialis Patronus quoad ista Beneficia: idèque potest præsentare eos, qui instituendi sunt. Catalogum Beneficiorum, quorum Rex est Patronus, habes apud eundem authorem.*

CONSECTARIUM VI. *Rex iure concordati inter Leonem decimum & Franciscum Primum, nominat, seu præsentat ad omnia Beneficia, quæ sunt Consistorialia; qualia sunt, Episcopatus, Archiepiscopatus, & Abbatiæ omnes regulares, non electivæ, quæ*

dantur in commendam ; & Papa dando Bullas, confert institutionem Canonicam. Sed sicuti Patronus tenetur præsentare non indignum, sed dignum ; ita & Rex. Tenerit ergo nominare ad Episcopatum, Clericum, qui vigesimum septimum annum compleverit ; & qui sit, vel Doctor, vel Licentiatus, vel in Theologiâ, vel in jure Canonico aut civili ; nisi esset Princeps ; quia eo in casu ratione dignitatis ab eâ regulâ eximeretur. Qui nominantur ad Abbatiam aut Prioratum regula rem, debent attigisse vigesimum tertium ætatis annum, & insuper oportet ut ejus sine ordinis, in quo est Abbatia, vel prioratus. Si secus faceret Rex, nominatio devolveretur ad Papam ; quia *qui dat incapaci, dat nullum.* Dicam Gallicè Beneficia, quæ non conferuntur secundùm regulas concordati. Les Benefices cy - dessous énoncez ne sont pas de la nomination du Roy. I^o. Tous les Chefs d'Ordre. II. Les Prieurez de Ste. Claire par l'Ordonnance d'Orleans 1560. Art. 3. III. Les Dignitez des Eglises Cathédrales, Collégiales, & Conventuelles : par Ordonnance de Blois. art. 1. & 7. IV. Les Commanderies de St. Antoine. Chop. pin. liv. 1. De sa Police. V. L'Abbaye de St. Honoré de Lerins en Provence. Par le consentement d'Henri II. 1547. Et par celuy d'Henry IV. 1597. VI. Tous les Monastères de la Caze St. Benoit, & de St. Sulpice à Bourges VII. L'Abbaye de Ste. Geneviève de Paris. VIII. Les Abbayes de Cîteaux, Clairvaux, Las ferté, Morimont, & Pontigny, Par la liberalité d'Henry IV. an. 1598.

§. VI.

De Patronis.

CONSECTARIUM unicum. Patronus; id est , ille , qui ædificavit , vel dotavit , vel fundavit Ecclesiam , potest ad ea omnia Beneficia vacantia nominare , quorum sese Patronum probat , vel per instrumenta indubitate , vel per possessionem immemorialem. Cap. *Novis fuit.* De jure Patronatus. & Cap. *Piementis.* Causâ 16. q 7. Fieri debet præsentatio à Laïco Patrono intra menses quatuor ; ab Ecclesiastico intra menses sex , licet jus Patronatus à Laïco acquisiverit. Cap. *Unico* §. Verum. De jure Patro. In 6. Patronus Ecclesiasticus , cùm semel aliquem præsentaverit , variare non potest , alium præsentando : quippe si præsentet indignum , eadit suo jure pro hac vice ; & collatio devolvitur ad superiorē. Laicus verò variare potest , quia Ecclesiasticus habere debet scientiam Canonum , minimè verò Laicus. Cap. *Pastorales.* De jure Patron. Patronus seipsum præsentare non potest ; alias videretur se ingerere. Cap. *Per nostras.* Eodem. tit. Decet , ut non præsentet filium ; ut appareat , se non querere commodum familiæ. Cap. *Consulnit.* Tamen non excluditur filius à præsentatione. Cap. *Per nostras.* Eodem. tit. Si plures sint ejusdem Ecclesiæ Patroni , possunt convenire ; ut singuli alternis vicibus præsentent. *Clemen.* Plures. De jure Patron. Si discordent , Beneficium Episcopus pro suo arbitrio conferre potest.

Cap. Quoniam. De jure Patron. Facta presentatione, institutio debet subsequi; ille, cui jus est instituendi, debet præsentatos, si sint idonei, recipere; sic non sint idonei, repellere. **Cap. Significasti.** De jure Patron. Jus Patronatus transit una cum fundo ad eum, qui acquirit fundum, sive acquirat titulum hæreditatis, sive titulum donationis, sive titulum emptionis, vel permutationis. **Clemen.** *Ptures.* De jure Patron. Patronus nil propriè juris habet in Ecclesia. **Can. Piæ mentis.** Potest & debet bonorum Ecclesiae à se fundatæ sollicitudinem gerere. **Can. Filius.** Causâ. 6. q. 7. Si Patronus ad inopiam redigatur, potest subsidium ab Ecclesiâ petere. **Cap. Nobis fuit.** De jure Patron. Ei debetur præcessionis honos. **Cap. Nobis.** Eod. tit. Cessat. jus Patronatus, si jus suum Ecclesiae contulerit; si Ecclesiam sine reservatione juris competentis patiatur fieri collegiatam, si ædes sacræ, terræ motu, aut alio vitio interierint; si Ecclesia ab infidelibus occupetur; si Patronus sit Hæreticus. **Cap. Vergentis.** De Hæreticis.

§. VII.

De Universitatibus.

CONSECTARIUM unicum. Universitates possunt ad Beneficia, non consistorialia; & non Patronata, nec per indultum, vel mandatum reservata, nominare; quando vacant mensibus graduatorum, scilicet, Januario, Aprili, Julio, & Octobri, præsentando Graduatos, vel simplices, ut dicunt,

310 MORALIS CHRISTIANA.

vel formatos , & Collator Beneficium mensibus Januario , & Julio vacans tenetur conferre Graduato formato ; antiquiori & digniori , scilicet , Theologo potius quam Canonicæ , Doctori potius quam Baccalaureo : potest verò Beneficium conferre , cui libuerit graduatorum simplicium , mensibus Aprili & Octobri . Ut Pater ex Concil. Basiliensi . sess . 31 .

Est autem Graduatus , ille qui studuit tempore , per Concordatum præscripto . Graduatus autem triplex est , Graduatus præcisè ; Graduatus simplex , & Graduatus formatus . Graduatus præcisè id est , qui licet non studuerit in universitate famosâ , in eâ tamen examinatus & capax repertus , gradum obtinuit , sed litteras sui Gradus non insinuavit . Graduatus simplex est ille , qui tempore requisito studuit in universitate , & gradum obtinuit , & litteras sui gradus in aliquâ Diœcesi insinuavit . Graduatus verò formatus est ille qui tempore requisito in universitate studuit , Gradum consecutus est , litteras yœ sui Gradus in aliquâ Diœcesi insinuavit , & insuper litteras ab universitate obtinuit , quibus ab universitate ad Beneficia designatur : inde est , quod vocetur Graduatus nominatus .

Graduatus præcisè potest accipere ea Beneficia ; quæ vacant extra menses Graduatorum , v. g . Beneficia in vicis muratis , vacantia extra menses Graduatorum . Graduatus simplex potest recipere Beneficia ; quæ vacant in mensibus Aprili & Octobri , qui dicuntur menses gratiae . Graduato formato conferri debent Beneficia , quæ vacant mensibus Janua-

fio & Julio. Quanto autem tempore studendum sit, habes ex Concordato de Collationibus; ubi sic legitur Tempus autem competens decennium in Magistris, seu Licentiatis, aut Baccalaureis in Theologiâ; septennium vero in Doctoribus, seu Licentiatis in jure Canonico, civili, aut medicinâ; quinquennium autem in Magistris, seu Licentiatis in artibus cum rigore examinis, à Logicalibus inclusivè, sexennium autem in Baccalaureis simplicibus in Theologiâ; quinquennium vero in Baccalaureis juris Canonici, aut civilis. Si ex utroque parente nobiles fuerint, triennium esse decemvimus.

Præter studium prædictum, requiritur adhuc, i. Quod Graduatus sit Regnicola; aut si sit externus, oportet ut litteras à Principe receperit, quibus regnicolæ privilegiis potiatur. Glossa, in Proemio Pragmaticæ Sanctionis ii. Quod sit tonsurâ initiatus. Cap. Cum ideo: De rescriptis. iii. Quod sit natus ex legitimo matrimonio. Can. De filiis Praebyterorum. iv. Quod sit sacerdotalis pro Beneficio sacerdotali, regularis pro regulari. Juxta regulam. Sacerdotalia sacerdotalibus, regularia regularibus. v. Quod attigerit annum vigesimum tertium; si Beneficium obtinendum annexam habeat curam animarum. vi. Quod nullum aliud Beneficium, quantumvis tenuerit, habeat, si sit regularis; quippe per unicum Beneficium, & victui & vestitui, regularibus paupertatem professis sufficienter providetur; si vero Graduatus sit sacerdotalis, requiritur: quod non habeat in regno Beneficium, cuius redditus ad 400. libras pertingat; quia si ex Beneficio habeat, undecim decenter vivere ya-

leat, non debet ex vi Gradū Beneficiū aliud
consequi; aliās privilegiū universitati con-
cessum cupiditatē sōveret. vii. Oportet,
quod post primam insinuationem, factam in
aliquā Diæcesi, eam quolibet anno renovet;
quam si omiserit, pro eo anno suo jure deci-
dit. Renovatur autem hāc formulā. *Vobis,*
& Reverendo Patri, N. Insinuo, & exhibeo
nomen meum, & cognomen, quod est, N. N.
Requirens mihi provideri de Beneficio; ut in
primā mēa requisitione continetur. Concord.
Cap. De Collatione. viii. Requiritur, quod
Collatio Beneficii, facta in favorem Graduati
simplicis, has voces contineat. *Tibi Graduato*
simplici, vel, Tibi tanquam Graduato, vel,
Tibi capaci & sufficienti. Facta verò in favo-
rem Graduati nominati, debet istas voces con-
tinere. *Tibi Graduato nominato.*

ARTICULUS VII.

De Peccatis, quæ committi possunt ab iis, qui
conferunt Beneficia.

PROPOSITIO Unica. Qui conferunt
Beneficia, sive illud sicut per electionem,
sive per præsentationem, sive per resignatio-
nem, debent solam Dei gloriam querere, &
majorem Ecclesiæ utilitatem; aliās peccant
peccato gravissimo.

Probatur 1º. Scripturā. *Manus citio nemini*
imposueris, neque communicaveris peccatis alie-
nis. Epist. 12. Ad Timoth. v. 22. Et ita per
quandam proportionem Collatori Beneficio-
rum dicitur nemini citio Beneficia contuleris;

ne reūs sias omnium peccatorum , quæ ab indigno Clerico committuntur.

2º. Ex Leone Epist. 1a. Ad Episcopos Africanos. *Quid est cuò manus impone e , nisi ante etatem maturitatis , ante tempus examinis , ante meritum laboris , ante experientiam disciplinæ , sacerdotalem honorem tribuere non probatis.* Quid dicit Leo de Sacerdotali honore , dici potest de Beneficio Ecclesiastico. Et In- cen. 3. titul. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine di- minutione conferantur , sic habet. Non ex affectu carnali ; sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasti- cum Officium in personam magis idoneam dispen- sare.*

3º. Ratione. 1a. Ratio. Qui confert Beneficia , est sicuti Architectus fundans domum Domini ; sicuti præfetus militiæ , eligens armatos ad bellum ; sicuti Princeps pastorum eligens inferiores pastores ad custodiam ovium . Architectus autem fidelis debet ædificare domum Domini , non ex paleis , festucis , & luto , id est , ex indignis Clericis , sed instar Salomonis ex lapidibus grandibus , & pretio- sis , & dolatis , atque quadratis , id est , ex Clericis probatæ vitæ . Præfetus militiæ de- beret eligere , non imbecilles , sed fortissimos milites , Doctos ad prælia . Demum fidelis Pastor debet inferiores Pastores feligere , qui pascant oves , & non qui occidunt , qui exem- plu præluceant , & non vitiis suis scandalos sint. 2a. Ratio. Qui conferendo Beneficia , non querit præcipue Dei gloriam , & Eccle- siæ utilitatem , crimen committit , inquit , Ludovicus Granatensis , in quo multiplex rea- tus invenitur ; præferens enim indignum ,

314 MORALIS CHRISTIANA.
reus est omnium animarum , quæ ob ejus indignitatem periclitantur : reus est omnium flagitorum , quæ ex hoc criminis consequuntur : reus denique omissionis omnium , aut eleemosinatum . aut aliorum bonorum , quæ boni studio Rectoris perficerentur. Quemadmodum autem , qui aut imperitum medicum , aut ignorantum Naucleum , au ignarum ducem , aut pravum pastorem præfecit ; reus est omnium damnorum , quæ ex horum ignorantia consequuta sunt : Ita & qui eligit indignum in Ecclesiâ ministrum , omnium malorum consequentium reus est ; & verè dicere potest.
Ego sum reus omnium animarum Patris iuj. I. Reg. 2. Cap. 22. v. 22.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Juxta Antoni-
num. 2. p. tit. 1. Cap. 22. §. 1. Juxta Co-
varruviam. 2. §. 7. num. 4. Juxta Cajeta-
num. in 2. 2. q. 97. a. 2. Juxta Navarrum.
De oratione Miscellaneo. 38. Juxta Lessium.
lib 2. De Benef. Cap. 34. dub. 13. num 66.
Graviter peccant , qui conferunt Beneficia ,
quæcumque illa sint , sive simplicia , sive non
simplicia , iis qui indigni sunt ; quia non
querunt majorem Dei gloriam , & majorem
Ecclesiæ utilitatem. . . Illud confirmat Con-
cilium Lateranense 4. Can. 26. Nihil est ,
quod Ecclesiæ Dei magis officiat , quam quod in-
digni assumantur prælati ad regimen animarum...
Volentes igitur huic morbo necessariam adhibent
medelam , irrefragabili constitutione sancimus;
quatenus cum quisquam fuerit ad regimen ani-

marum sumptus, is, ad quem pertinet ipius confirmationis diligenter examinet, & electionis processum, & personam electi, ut, cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia, si secus fuerit incaute presumptum, non solum de jiciendus est indignè promotus, verum etiam indignè promovens puniendus, & Can. 30. Non solum loquitur De Beneficiis curatis, sed etiam de Beneficiis simplicibus, & ait Præcipimus, ut prætermis indignis assumant idoneos, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum. Quos Canones Trid. Renovavit, sess. 7. Cap. 3. Optimè enim ait Chrysost. lib. 3. De Sacerdotio. Evidem non opinor aliundè in Ecclesiâ iam multas turbas nasci, quam ex Episcoporum & Antistitum electionibus, casu potius ac temere, quam diligenter & accurate factis; nam caput valentissimum esse oportet. Omnis autem Beneficiatus est aliquomodo Caput.

C O N S E C T A R I U M II. Graviter peccant, qui Beneficia, curam animatum annexam habentia, non conserunt, non solum dignis, sed etiam dignioribus; quia non querunt majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Id confirmat Trid. sess. 24. Cap. 1. De refor. Vbi Collatores hortatur & monet eos, alios peccatis communicantes, mortaliter pecare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, prefici diligenter curaverint. Quod adeò verum est, ut damnata fuerit sequens propositio ab Innocentio XI. Cum dicit Concilium Trid. Eos

alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiae magis utilles ipsi judicaverint, Concilium 1^o. Videatur per hoc Digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo propositivo; vel 2^o. Locutione minus propria ponit dignores, ut excludat indignos, non verè dignos; vel tandem loquitur 3^o. Quando fit concursus. Illud confirmat Concilium Basileense, quod in Pragmaticâ Sanctione decrevit, ut collatores ita jurent: Ego juro & promitto omni potenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, sub cuius vocabulo dedicata est Ecclesia, cum eligere, quem credam futurum Ecclesiae in spiritualibus & temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut alium interpositâ, aut alias qualitercumque directè vel indirectè pro se electionem procurare. Et in hoc Concilium sequitur antiquum Ecclesiae usum: Teste enim Origene, in Cap. 8. levit. Sic eligebatur Sacerdos. Requiritur, inquit, in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, ut sciant omnes, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sapientior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur in Sacerdotem; id est, eligitur, ut curam animarum habeat.

CONSECTARIUM III. Peccant graver, qui beneficia simplicia conferunt consanguineis indignis, vel qui Beneficia curata conferunt minus dignis, rejectis extraneis dignioribus. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. Ad primum. Circa consanguineos prælati distinguendum est; quia quandoque sunt minus

digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune, & sic si dignioribus praferantur, est peccatum personarum acceptationis in dispensatione spiritualium, quorum praetatus Ecclesiasticus non est Dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimes homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quandòque verò consanguinei prælati Ecclesiastici sunt æquè digni, ut alii, & sic licet potest absque personarum acceptione consanguineos suos preferre, quia saliem in hoc præminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ trahent: esset tamen hoc proprius scandalum, dimittendum si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi. In hoc D. Thom. Secutus est Doctrinam Aug. Sic paucis verbis expressam Epist. 29. ad Hieron. Quis ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contemp. 10 paupere instrucliore & sanctiore.

CONSECTARIUM IV. Peccant gravi-
ter Patroni, qui minus dignum præsentant,
postpositis dignioribus; quia non querunt
majorem Ecclesiæ utilitatem. Non tamen pec-
cant Episcopi, illos instituendo in Benefi-
ciis, si non possint in foro contentioso illo-
rum indignitatem probare; quia ex rigore
juris tenentur instituere eum quem Patronus
præsentat. Cap. Cum dilectus. De electione.
Quamobrem in re tanti momenti, inquit Lef-
fius lib 2. De Beneficiis. Cap. 32. Dubio 3.
num. 29. Tenentur superiores sub peccato mor-
tali dare operam, ut quam maxime idoneis con-
ferantur talia Officia.

Monitum. Absque peccato conferuntur Beneficia, curam animarum annexam habentia, minus sanctis, & minus doctis; si Ecclesia, cui providendum est, utiliores futuri judicentur iis, qui sanctiores sunt atque doctiores; quia tunc queritur major Ecclesiae utilitas. Ita D. Thom. Quodlibeto. 2. q. 5. a. 3. *Aliquis potest dici melior duplicitè: uno modo simplicitè, qui est Sanctior, vel plus habens de charitate: alio modo dicitur aliquis melior, quoad aliquid: contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simplicitè, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod Beneficium percipiat; quia aliquis forte potest Ecclesiam magis juvare, vel per Consilium sapientie, vel per auxilium potentiae; vel quia servivit in Ecclesia.* Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simplicitè; sed tenetur dare meliori quoad hoc. Propter similem rationem dignum ex Ecclesiae gremio alteri alias digniori praefecte licet; quia, ut ait D. Thom. 22. q. 93. a. 2. ad 4. *Ille, qui de Ecclesiae gremio assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune; quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus, & propter hoc etiam mandatur, Deuter. 17. v. 15. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.*

CONSECTARIUM V. Peccant mortali-
ter, & insuper excommunicationem incur-
runt, quicumque Simoniacè Beneficium quod-
cumque conferunt; sive simonia illa fiat, vel
per munus à manu, vel per munus à lingua,
vel per munus ab obsequio: quod latè expli-
cuimus in tomo. 2. Ubi de simonia. Sed ia-

ter simoniacas labes ea est omnium pessima, in quā collator volens concludere matrimonium, vel fratri, vel sotoris, vel nepotis, vel neptis, vel consanguinei, vel consanguineæ, vel demum amici, aut amicæ quasi dotis loco, aut explicitè, aut implicitè se Beneficium gratis collaturum promittit, aut proli ex tali matrimonio nascituræ, aut alicui ex illis, quibus per novum matrimonium collator affinis efficitur. Hæc, inquam, conventione est omnium pessima.^{1°} Quia *promissio ipsa continet simoniacam pravitatem*, cum per eam promoteatur negotium tempore, scilicet matrimonium; ut habetur Cap. *cum essent*. De simoniâ ^{2°}. Quia partes contrahentes matrimonium, si sint hujus simoniæ conventionis consciæ, quadruplex Sacralegium committunt, primum quidem confitendo; secundum communicando, tertium contrahendo matrimonium in statu peccati mortalis, quartum verò consentiendo simoniæ. ^{3°}. Demum quamdiu persistunt in illâ labe simoniacâ, divinam omnem Benedictionem à matrimonio suo longè amovent, & divinam iram, tum contra se, tum contra filios concitant.

ARTICULUS VIII.

De Petccatis, quæ committi solent in plurælitate Beneficiorum.

POPOSTITIO unica. Habere plura Beneficia non est ab intrinseco malum, ut, v.g. mentiri, sed ut plurimùm multa habere

Beneficia , continet in se plures deformitates,

Probatur 1^o. Scripturâ. Nemo potest duabus Dominis servire ; aut unum odio habebit , & alterum diligit. Math. 6. v. 24. Prædicto tex- tu utitur septima Sinodus. Cap. 15. ad ex- cludendam pluralitatem Beneficiorum. Cleri- cus , inquit , non connumeretur in duabus Eccle- siis ; ac divimus enim , quod nemo potest duobus Dominis servire. Et rursus vñ qui conjungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terre. Quomodo ergo non erit vñ eis , qui Beneficia Beneficiis cumulant.

II. Ex Patribus. Chrisostomus citatus à Divo Thomâ hæc habet Quod figuræ non fuit concessum , rei reor esse illicitum : figuræ autem , id est , veteri Testamento non fuit concessum , quod inter Levitas , qui capiebat in Bethleem , caperet in Jerusalem , cum ergo perfectiores esse debeamus , qui capit in Tyro , non capiat in Damasco. II. Ex Greg. re- lato à Grat. dist. 89. Ubi sic habetur singula Ecclesiastici juris Officia singulis quibus que personis singulatim committi jubemus. III. Ex D. Bernardo. Epis. 271. Ubi sic legitur , nec cuiquam plures dignitates in pluribus Ecclesiis ha- bere licet , nisi dispensatoriè quidem ob magnam , vel Ecclesiæ necessitatem , vel personarum utili- tatem.

V. Authoritate D. Thom. Habere plures præbendas , plurimas in se inordinationes conti- net , ut potè , quia non est possibile aliquem in pluri- bus Ecclesiis deservire , in quibus est Præbendatus , cum Præbenda videantur esse ordinatae , quasi quedam stipendia Deo ibidem ministranijum. St.

quitur etiam minutio cultus dirini, dum unus lo o plurium instituitur. sequitur etiam in aliquibus deservitatio voluntatis Testatorum, quæ ad hoc a iqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest: & multa alia hujusmodi quæ de facili patent. Unde non potest contineri inter indiferentes actiones; & multò minus inter eas, quæ sunt secundum se bona; ut dare elemosinam, & hujusmodi. Quodlib. 9. q. 7. a. 2. in corp. ideo ait Bernardus, qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.

V. Ratione. Pluralitas in Beneficiis. 1°. repugnat aliquo modo juri naturali. Juri canonico, & juri civili. I. Juri naturali; quia sicuti contra naturam est 1. quod unum membris locum habeat in diversis corporibus, ita & quod Clericus locum habeat in diversis Ecclesiis. 2°. Quod caput unus corporis sit membrum alterius; ita pariter quod Clericus, qui est caput in una Ecclesia, sit oculus in aliâ, v. g. Episcopus in una Ecclesia, Archidiaconus in aliâ. II. Juri Canonico: quippe jus canonicum prohibet sub gravissimis poenis plura retineri Beneficia, quando alterum sufficit ad commodam Beneficiati sustentationem. Ita Concilium Calcedonense part. 2. Cap. 10. Ubi sic habetur. *Non licet Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis.* Et Concilium Nicænum. 2. act. 8. Cap. 15. *Clericus ne connumeretur in duabus Ecclesiis.* Ita etiam Can. Sanctorum Canonum. Dist. 70. &

extravag. Joān. 22. quæ incipit execrabilis.
Quos omnes Canones confirmavit Trid. sess.
24. Cap. 17. Statuit, ut in posterum numerum
tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis confe-
ratur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui
confertur, honeste sustentandam non sufficiat,
liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dum
modò utrumque personalem residentiam non re-
quirat, eidem conferrri. Hæcque non modò ad
Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia
Beneficia, tam sacerdotalia, quam regularia que-
cumque, etiam commendata, pertineant, cuius-
cumque tituli ac qualitatis existant. III. Juri
civili: jus quippè civile improbat, ut quis
duas militiae præfectorias habeat. Ergo à for-
tiori, ut quis habeat plures titulos diversorum
Beneficiorum. Si enim humana Respublica
eumdem ducem variis in arcibus non præfi-
ciat, eumdem consulem variis in urbibus non
constituat, eumdem judicem diversis in cu-
riis præsidere non sinat, quorsum in Repu-
ublicâ Christianâ idem Clericus variis in
Ecclesiis personam ducis & consulis & judi-
cis sustinebit.

Consecaria hujus Doctrina.

C O N S E C T A R I U M I. Nemini licet pos-
 fidere simul plura Beneficia incompatibilia;
 qualia sunt plura Beneficia curara. Item plu-
 res dignitates, personatus, vel plura Bene-
 ficia uniformia sub eodem tecto; adeò ut qui
 plura Beneficia hujus generis habuerint, nisi
 infra sex menses unico contenti, si ad liberam
 sedis Apostolicæ dispositionem pertineant;

aut infra annum , cætera dimittant , omnibus ipso jure privati existant , & ad restitutionem feuctuum teneantur. Ita Trid. sess. 7. Cap. 2. 4. & sess. 24. Cap. 17. Illi vero , qui in præsenti plures Parochiales Ecclesiæ , aut unam Cathedram , & aliam Parochiam obtinent , cogantur omnino , quibuscumque dispensationibus , ac unionibus ad vitam non obstantibus , unâ tantum Parochiali , vel solâ Cathedrâ reteniâ , alias Parochiales infra spatum sex mensium dimittere : alioquin tam Parochiales , quam Beneficia omnia , quæ obtinent , ipso jure vacare censeantur ; ac tamquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur ; nec ipsi antea illa obtinentes , tutâ conscientiâ , fructus post dictum tempus retineant. Parochiam tamen Ecclesiam una cum suâ annexâ Ecclesiâ , & Canonicatum una patiter cum suâ annexâ retinere poterit , modo in eâ Vicarius cum Congruâ portione constituantur. Ita habet consuetudo ; quippe cum Parochia , aut Canonicatus , ita tenuis est , ut Sacerdotem nutritre non valeat , alia ei Ecclesiâ adjungitur. Ita Cap. Eam te. De ætate & qualit.

C O N S E C T A R I U M II. Nemini licet possidere p'ura Beneficia diversi generis , quorum quodlibet residentiam postulet in suâ Ecclesia. Ita plurima jubent Concilia Generalia , nimirum Chalcedonense , Nicenum. II. &c. Et Cap. ad hæc licet. De Præben. Sic habet Omni rationi contrarium , ut unus Clericus in unâ , vel diversis Ecclesiæ , plures dignitates , vel personatus obtineat ; cum singula Officia in Ecclesiæ assiduitatem exigant personarum. Ingens illud malum ita describit extravag. Joan. 22.

Cap. Execrabilis. Habentibus plura Beneficia paratur vagandi materia , divinus cultus minuitur , Hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non savatur. Et dum non sunt sui in unâquaque regione rectores , Ecclesiarum detrahitur commodis & honori , quæ carentes defensorum auxilio in iuribus suis , & libertatibus , multipliciter collabuntur , & ruinis patent ædificia nobilium , quæ magnificientia extruxerat decessorum ; & quod amarius est dolendum , animarum cura negligitur , & vitiorum sensibus fomentum periculose præbetur.

CONSECTARIUM III. Plura Beneficia cujuscumque naturæ retinere non licet , quando alterum est sufficiens ad vitam honestè sustentandam. Ita jubet Trid. sess. 24. **Cap. 17.** Vide locum supra citatum. **Sancta Sinodus . . .** Statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis confertur , quod quidem , si ad vitam ejus , cui confertur , honestè sustentandam non sufficiat , licet nihilominus aliud simplex sufficiens , dummodo utrumque personalem residuum non requirat , eidem conferri. Ergo si unum sufficiat , non erit licitum aliud retinere , vel accipere. Quod à Deo constans est ut Durandus sic loquatur , Theologorum communiter hoc habet opinio , quod si unum Beneficium habens , de quo potest non laute , nec ad elationem & pompam sed convenienter & mediocriter sustentari , recipiat , vel retineat aliud , mortaliter peccat. Et Facultas Parisiensis , an. 1238. Ait nemo potest duo Beneficia si alterum sit sufficiens ad aliendum , obtinere sine peccato mortali.

CONSECTARIUM IV. Dispensatio , à summo

summo Pontifice concessa , non excusat à peccato , si non sit legitimis de causis concessa. Illud patet ex Concilio Lateranensi 4^o. Cap. 29. In eādem Ecclesiā nullus plures dignitates , aut personatus habere præsumat , etiam si curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & litteratas personas , quæ majoribus sunt Beneficiis bonorandæ , cum ratio postulaverit , per sedem Apostolicam paterit dispensari.

Ratio autem dispensandi non alia esse potest , quam major Ecclesiæ utilitas. Ut dictum est ubi de Dispensatione.

De Dispensationibus autem sine causâ concessis , sic loquitur Bernardus Epist. ad Robertum. *Quid tibi blandiris de Dispensatione , cuius conscientia tenetur divinâ Sententiâ ligata.* Et Bellarminus. *Sciendum est Poniticiam dispensationem , quando non adest iusta causa dispensandi , valere in foro fori , sed non in foro poli.* Ut aperte docet D. Thom. Idem tenet Guillelmus Episcopus Parisiensis , Cajetanus , Toletus , Panormitanus. Cajetanus enim sic loquitur. *Dispensatio Pape cadit super jus positivum , & non super jus divinum & morale ; pluralitas autem Beneficiorum sine rationabili causâ est contra jus divinum & morale.* De verb. Beneficium. Toletus vero sic habet. lib. 5. Cap. 4. *Quando causa dispensans in pluralitate Beneficiorum Non est in bonum Ecclesiæ , non est bona dispensatio , nec est homo securus coram Deo.* Tandem Panormitanus sic loquitur. *Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem Beneficiorum sine causâ , etiam si sit tutus quoad Ecclesiam militantem , non est tamen quoad triumphantem.* In cap. Dudum de elect.

intentio etiam expendendi redditus Beneficiorum non excusat Beneficiorum pluralitatem; quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona ... nec Deus exigit a nobis elemosinas ultra vires & redditus nostros.

ARTICULUS IX.

De residentia.

RESENTIA est in loco Beneficii commoratio, muniorumque Ecclesiasticorum functio: nam residentia, ut ait saganus, debet esse laboriosa, non desidiosa, cum Beneficia ad divinum cultum & Ecclesiastica munia sint constituta. In caput licet de Prebendis num. 23.

P R O P O S I T I O I. Qui habet Beneficium, cui annexa est cura animarum, tenetur residere in loco debito, id est, tenetur exhibere personale ministerium in loco, in quo est Beneficium.

Probatur 1°. Ex titulis, quos scriptura attribuit his, qui talia Beneficia habent, siquidem illi Beneficiati vocantur, *Pastores*, *speculatores*, *Magistri*, *Rectores*, *Doctores*, *lux populi*; quae omnia denotant munia, & officia, presentiam personalem exigentia; ut innuit textus Joan. Cap. 10. v. 14. Ego sum *Pastor bonus*. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovis suis*; *Mercenarius autem*, & qui non est *Pastor*, cuius non sunt oves propriæ, *videt lupum venientem*, & dimittit oves & fugit: & v. 2. qui autem intrat per osium, *pastor est ovium*; *hunc osiliarius aperit*, & oves vocem ejus au-

diunt, & proprias oves vocat nominatum, & educit eas. Et cum proprias oves emiserit, anime eas vadit, & oves illum sequuntur; quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non neverunt vocem alienorum.... Quæ omnia manifestè ostendunt, pastorem non debere ad ovili suo abesse.

2°. Ex Conciliis. Can. *siquis Presbiter, vel Diaconus.* 7. q. 1. Can. *Clericus ab instanti 21.* q. 1. Can. *placuit ut à nullo.* 7. q. 1. Can. *scis-*
citaris itaque 7. q. 1. Cap. quia nonnulli. De
Clericis non residentibus. In omnibus his
locis præcipitur Clericis, ut in suis Ecclesiis
commoretur, & gregi suo invigilent. De-
mum Trid. ff. 6. Cap. 1. De reformatione,
monet Clericos. Ut attendentes sibi, & uni-
verso gregi, in qua Spiritus Sanctus posuit eos
regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine
suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in om-
nibus laborent, & ministerium suum impleant:
implere autem illud se nequaquam posse sciant, si
greges sibi commissos mercenariorum more de-
serant.

3°. Ratione desumptâ ex Concilio Trid.
 ff. 23. Cap. 1. de reformat. *Cum præcepto di-*
vino mandatum sit omnibus, quibus animarum
cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his
Sacrificium offerre, verbique divini prædicatio-
ne, Sacramentorum administratione, ac bonorum
omnium operum exemplo pastere, pauperum alia-
rumque miserabilium personarum curam pater-
nam gerere, & in certa munia pastoralia incum-
bere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari &
impleri possunt, qui gregi suo non invigilant,
neque assidunt, sed mercenariorum more deserunt.

328 MORALIS CHRISTIANA.
Ergo Beneficiati habentes curam animarum te-
nentur in loco debito residere.

PROPOSITIO II. Nihil est, quod ab
obligatione residentiæ dispenset, nisi Christia-
na charitas, urgens necessitas, debita obe-
dientia, & evidens Ecclesiæ vel reipublicæ
utilitas.

Probatur 1^o. Ex Concilio Trid. ff. 23. Cap.
I. De refor. *cum Christiana charitas, urgens
necessitas, debita obedientia, ac evidens Eccle-
siæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnumquam
abesse postulent, & exigant, decernit eadem sa-
cro Sancta Synodus, has legitimæ absentie cau-
sas à Beatissimo Romano Poniifice, aut à Metro-
politano, vel, eo absente, suffraganeo Episcopo
antiquiori residente, qui idem Metropolitanus ab-
sentiam probare debebit, in scriptis esse approban-
das; nisi cum absentia inciderit propter aliquod
munus, & Reipublicæ officium, Episcopatibus
adjunctum: cuius quoniam causæ sunt notoria, &
interdum repentinae, ne eas quidem significari
Metropolitano necesse erit.*

2^o. Ratione D. Thom. In quâlibet obliga-
tione præcipue attendi debet obligationis si-
nis: obligant autem se Episcopi ad exequen-
dum pastorale officium propter subditorum
salutem: & ideo ubi subditorum salus exigit
personæ pastoris præsentiam, non debet pastor
personaliter igrem suum deserere, neque
propter aliquod commodum temporale, ne-
que etiam propter aliquod personale pericu-
lum imminens, cum bonus Pastor animam
ponere teneatur pro ovibus suis. Cum vero
salus ovium postulabit, ut absint Pastores,
aut pastores abesse poterunt; quia finis re-
sidentiæ est utilitas fidelium,

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. *De his qui residere debent.* Episcopi, Parochi, Abbates, Cardinales &c. tenentur in suis Beneficiis residere; quia hi omnes curam habent animarum. Item residere tenentur, qui dignitates, Canoniciatus, Præbendas &c. in Ecclesiâ obtinent, & ultra tres menses, vel discretos, vel continuos abesse non possunt. Ita determinavit Trid. ff. 24. Cap. 12. *De refor. Non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nibilominus earum Ecclesiarum constitutis, que longius servii temporis requirunt.*

CONSECTARIUM II. *De loco & tempore residentiae.* Parochus non potest extra limites Parochiæ manere, sed debet manere in loco commodiotori Parochianis, juxta determinacionem Episcopi. Ita multoties respondit Sacra Congregatio. Unde Episcopi, Parochi, Abbates &c. tempore pestis debent in suis Beneficiis residere; quia tunc temporis oves maximè egent pastoribus. Pastor bonus, cum opus est, animam ponit pro ovibus suis, Merennarius verò fugit. Ita determinavit Congregatio Concilii, teste sagnano in caput *non liceat de Præbendis & dignitatibus.* Num. 45-46. 47.

CONSECTARIUM III. *De modo residendi.* Episcopi, Parochi, Abbates &c. debent per se ipsos, & non per Vicarios residere; quia cuilibet pastori in persona Petri dicuntur, *Pasce oves meas;* minimè verò solū, cura ut

E e jij

pascatur oves meæ. *Qui enim*, ait Bernardus, *per Vicarium inservit, in Vicario renumerabitur.* Si tamen Parœcialis Ecclesia Præbendæ vel dignitati Annexa sit, tum Parochus residens in majori Ecclesiâ, debet idoneum Vicarium statuere in Ecclesiâ Parœciali. Ita Cap. exirpande. De Præbendis. Unde Episcopi, Parochi, Abbates, &c. non satisfaciunt præcepto residentiæ, si corporaliter tantum residenceant, & pastoris munia per se ipsos non obeant ... Quia residentia debet esse non otiosa, sed laberiosa, quod expressit Trid. dum jubet, ut pastores oves suas paseant, & regant. Clerici quippe, qui obligantur ad residentiam, debent se gerere, ut pastores, ut medici, ut nutritii: debent esse ut pastores, non quales erant pastores Sinagogæ; de quibus Ezechiel ait Cap. 34. *Væ pastoribus Israël, qui pascibant semetipsos.* Nonne greges à pastoribus pascentur, lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſsum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Sed tales debent esse, qualis describitur pastor Novi Testamēti ab eodem Ezech. Ibid. *Suscitabo super ea armenta pastorem unum, qui pascat ea, servum meum David, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem.* Qualis autem fuit Christus princeps pastorum, tales decet esse Clericos suis in locis, in quibus resident. 2^o. Debent esse, ut melici, non tales quidem, quales describuntur apud Ezechiel ibid his verbis: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod agrotum, non sanastis: quod contractum est, non alligastis, & quod abjectum erat, non reduxistis ex quod parierat, non quæsistis.* Sed tales de-

bent esse medici, qualis est Christus, de quo scriptum est *Venit filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* 3^o. Debent esse nutritii, non tales, quales describit Propheta dicens. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

C O N S E C T A R I U M IV. De peccato & pœna non residentium. Episcopi, Abbates, Parochi, Canonici &c, quandiu absunt sine causa, sunt in statu peccati mortalis, & fructus Beneficiorum suorum non possunt percipere. Ita Trid. fl. 23. Cap. 1. Si quis autem, quod minima numquam eveniat, contra hujus decreti dispositionem ab fuerit; statuit sacro sancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo 3^o. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentie fructus suos non facere, nec tutam conscientiam, alia etiam declaratione non secutam, illos sibi detinere posse; sed teneri aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci errogarre, prohibita quacumque conventione vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam predicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur. Unde distributiones quotidianas illi solum habent jus percipiendi, qui divinis intersunt officiis, nisi justa ex causa dispensentur. Ut docet Trid. fl. 24. Cap. 12. *Distributiones vero, inquit, qui statuis horis interfuerint, recipient; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusi, bis careant.* Distributiones tamen quotidianas, licet absentes, percipere possunt. 1^o. *Aegroti, senes, injustè incarcerati, Canonici Thologi,*

qui vel scripturam explicant, vel concionantur, Canonici pœnitentiarii, qui audirent confessiones, vel Canonici Curati, qui Parochi munus obeunt. Ita declaravit Congregatio Minimè vero illi, qui absunt sola studiorum causâ; tunc enim grossam, ut dicunt accipiunt, non verò quotidianas distribuções.

ARTICULUS X.

De causis excusantibus à residentiâ.

PROPOSITIO Unica. Nulla est causa validè dispensans à residentiâ nisi bonum vel universalis vel particularis Ecclesiæ, aut ingens utilitas Reipublicæ.

Probatur ratione de sumptâ ex Trident. sess. 23. Cap. 1. Nemo potest abesse à sua Ecclesiâ etiam per trimestre, concessum à Concilio, nisi id aquâ ex causâ fiat, & absque ullo gregis detrimento. Atqui ut diximus in primo tomo loquentes de dispensatione, sola causa justa dispensandi est, non cupiditas, sed charitas, non bonum privatum, sed publicum: ergo nulla est causa validè dispensans à residentiâ nisi bonum Ecclesiæ, vel universalis: vel particularis, vel ingens utilitas Reipublicæ.

Consecaria hujus Doctrinæ.

S. I.

De fictis titulis non residendi.

CONTRACT. I. Tenuitas fructuum non

excusat à residentiâ ; quia Parochus ei debet adhærere Ecclesiæ , quam despontavit , sicuti maritus debet adhærere uxori , quam duxit. Ita respondit Congregatio , teste Fagnano , supra caput extirpandæ . Sed Parochus debet compellere Episcopum , aut Parochianos , ut ei congruam assignent portionem.

C O N S E C T A R I U M I I . Numerus exiguis Parochianorum non excusat à residentiâ . Ita declaravit Congregatio , teste Fagnano ibidem.

C O N S E C T A R I U M III . Episcopi , Parochi , Abbates , Canonici &c. non possunt trimestrem absentiam unius anni cum absentiâ trimestri sequentis jungere ; adeo ut licet valeant jungere absentiam mensibus Octobris , Novembris , Decembris anni currentis , & prorogare absentiam mensibus Januario , Februario . & Martio anni sequentis. Ita respondit Congregatio teste Fagnano ; quia sic diuturnior foret absentia , & insuper pastores abessent ab Ecclesiâ tempore adventus & quadragesimæ , quo tempore decet pastores ovi- bus suis invigilare , easque verbo , exemplo , & Sacramentorum administratione pascere .

C O N S E C T . I V . Juxta Carolum Borromæum , non excusantur à residentiâ , qui hic subjiciuntur . I. Qui Beneficium Ecclesiastice habet , de cuius titulo adhuc lus & controversia pendet. II. Ille , qui nondum Sacerdotio , aut eo ordine , quem Beneficium illud requirit , initatus est : nec præterea , qui justâ aliquid causâ , impedimentoè distinetur , quominus eo iniicitur . III. Nec verò à residentiæ munere liberisunt , qui tertiam partem fructuum , qui

fibi ex dignitatibus adveniabant, quas in Ecclesiis Cathedralibus obeunt, in distributiones conseruant: imò verò, si cætera etiam, quæ in Tridentino decreto in sess. 24. promulgato, ipsis prescripta sunt, præstare ab Episcopo cogantur: **IV.** Ne ille quidem excusat, cuius Ecclesia, aut Beneficium ejusmodi est, unde omnis, aut certa magna pars fructum, aliquo modo reservata, ad alium pervenit. Ita habetur expressis terminis. Lib. 4 constitutionum Synodalium Ecclesiæ Mediolanensis. Cap. 30.

CONSEC TARIUM V. Episcopi, Patochi, Abbates, Canonici &c, qui assidue resident in suis Beneficiis, non possunt sine causa uti licentiâ non residendi, quam concedit Trid. quia ut ait vanespen de instituto & officio Canonici Par. 3. Cap. 5. §. 2. Concilium absentiam trium mensum non approbat, sed tolerat: justè tamen conceditur assidue residentibus, ut interdum absint, relaxationis causâ. Concilium quippe non dat licentiam non residendi, nisi ex justâ causâ. Causæ autem non residendi ex dictis sunt, **1º.** Utilitas vel totius, vel ipsius, cui præstet, Ecclesiæ; & sic Episcopi possunt adesse à suis Ecclesiis, ut eant in Concilium, vel Provinciale, vel Universale, quod in bonum Ecclesiæ convocatur, ut eant in curiam Romanam, vel in aulam Regiam, jura suæ Ecclesiæ defendendi causâ. Ita Cap. ex parte **II.** De Cleric. non residens. **Præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris,** cum ex hoc censeri debeas residens, perjurium non incurris. **2º.** Civilis Reipublicæ utilitas, & sic Episcopi possunt adesse comitiis generalibus, ut causam etiam temporalem populorum sus-

tineant. Licensia tamen debet à legitimo superiori & peti & obtineri , exceptis casibus repentinè occurrentibus. Ut docet Fagnanus in caput *relatum de Clericis non resistentibus.*

§. II.

De iustis titulis non reddendi.

CONSECTARIUM I. juxta Carolum Borromaeum excusantur à residentiâ , qui ob Seminarii causam , ob senectutem , ob adversam valetudinem , ob cœli intemperiem , ob populi odium , Diutius absunt ; modò in his casibus pastor , qui residere possit Ecclesiæ provideatur. Ita Concilium Mediolanen. §. P. 3. tit. de residentiâ .

CONSECT. II. Excusantur à residentiâ Theologiæ Professores , quamdiu in Scholis docent , item Scholarès , si secundum studio vaccent , secundus , si non studeant , per quinquennium excusantur à residentiâ , & fructus Beneficiorum suorum , exceptis quotidianis distributionibus , possunt licite percipere. Ita Trid. Docentes verò ipsam Sacram Sc. iuriuram , dum publicè in Scholis docuerint , & Scholarès , qui in ipsis Scholis student , privilegiis omnibus de perceptione fructuum , P. abendarum , & Beneficiorum suorum , in absentiâ à jure communis concessis , plene gaudeant , & fruantur. §. 5. Cap. 1. quia ut dicitur Cap. super specula. De magistris. Cum denario fraudari non debeant , in vineâ Domini operantes. Ideo p[ri]vilegium conceditur & Professoribus , & studentibus in jure Canonico : ut declaravit Sacra Congre-

336 MORALIS CHRISTIANA;
gatio , teste Fagnano. Facultas debet concedi
ab Episcopo , sed hac facultate , eoque prí-
legio privantur , qui non student , sed aliis
omnino rebus vacant. Ita Concil. Turonense
an. 1583. Cap. 13. illud idem privilegium
Parochis concedi non potest juxta Concilium
Aquense ann. 1585. Usus tamen contrarius in
gallia prævaluit.

C O N S E C T . III. Duo Canonici , Epis-
copo ad Ecclesiæ utilitatem servientes , à resi-
dentiâ legitimè excusantur , fructusque Bene-
ficiorum legitimè percipiunt. Ita Cap. *ad au-*
dientiam. De Clericis non residentibus.

C O N S E C T . IV. Regiæ capellæ Clerici à
residentiâ pariter dispensantur , durante servi-
tii tempore , sed eo clapo tempore , ad Ec-
clesias suas redire , eisque servire tenentur.
Istud privilegium concessum est Regi galliæ
à Clemente VI. confirmatum à Pio II.

C O N S E C T . V. Episcopi , & Archiepisco-
pi , vocati à Rege , vel Imperatore , causâ vel
pacis stabilendæ , aut procurandæ , vel causâ
Consilii dandi , vel causâ legationis obeundæ
apud exterros , à residentiâ dispensantur. Ita
Fagnanus in caput *qualiter*. De Clericis non
residentibus. Num. 16. quia id bonum Rei-
publicæ exigit.

C O N S E C T . VI. Cum pastor specialiter
quæritur , ut ei mors inferatur , tupe si ejus
præsentia non sit ovibus necessaria , licet potest
fugere , minime vero , si ejus præsentia sit eis
necessaria , ut docet D. Thom. 2.2.q. 185. a 5.
in corp. *Ubi* , iniquit , subditorum salus exigit
personæ pastoris præsentiam , non debet pastor
personaliter suum gregem deserere , neque prop-
ter.

DE BENEFICIS ECCLESIASTICIS. 337

ter aliquod commodum temporale , neque etiam propter aliquod personale periculum imminens , cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis . Si vero subditorum salutis possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri , tunc licet pastori , vel propter aliquod Ecclesiæ commodum , vel propter personæ periculum , corporatius gregem deserere . Idem docet Aug. Epist. 180. ad honoratum , ubi sic habet disertis verbis . Fugiant de civitate in civitatem servi Christi , quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus queritur , ut ab aliis , qui non ita requiruntur , non deseratur Ecclesia . cum autem omnium est commune periculum his , qui aliis indigent , non deserantur ab his , quibus indigent . Sic in nuperâ phanaticorum persecuzione , qui pastores querebant ad mortem , & non oves , prudenter quidam pastores fugerunt ; quia , ut inquit Aug. pastor potest fugere , cum inquiritur pastorum mors , & non ovium . Fugiat , inquit , minister Christi ; sicut ipse Christus in ægyptum fugit ; fugiat exemplo Pauli , qui à Fratribus per murum submissus est in spora . Fugiat iussus à Christo ; ait enim Dominus discipulis . Si vos persecuti fuerint in una civitate , fugite in aliam . Fugiat exemplo Christi ; ille enim abscondit se , & exivit de templo , quando iudei lapides tulerunt , ut jacarent in eum .

MONITUM . Quicumque justis de causis à residentiâ dispensantur , tenentur Ecclesie , quam deserunt idoneum pastorem providerere . Ut expressè jubet Concil . Trid . sess . 23 . Cap . 1 . Ita tamen , iuquit , ut quando cumque eos causâ prius per Episcopum cognitâ

§38 MORALIS CHRISTIANA.
probata abesse conigerit, Vicarium idoneum ab
ipso ordinario approbandum, cum debitâ mer-
cedis assignatione relinquant. Discendendi autem
licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra
bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obti-
ueant.

ARTICULUS X.

Quas obligationes inducat Beneficium simplex.

PROPOSITIO unica. Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam nullum est Beneficium, etiam simplex, quod aliquod ministerium adjunctum non habeat, quod exercendum est ab eo, qui Beneficium illud obtinuit.

Probatur 1°. Scripturâ. Divus Paulus. 1.
ad Tim. 3. Generatim dicit. *Qui non labo-
rat non manducet*; ergo, qui percipit redditus Ecclesiæ, debet Ecclesiæ aliquod impendere Ministerium.

2°. Ex Concilio Trident. sess. 21. Cap. 3.
De reform. Beneficia ad Divinum Cultum, at-
que Ecclesiastica munia obeunda, sunt constitu-
ta; ergo nullum est Beneficium, etiam sim-
plex, quod aliquod ministerium Ecclesiasti-
cum non exigat.

3°. Ratione desumptâ ex jure Canonico.
*Beneficia Ecclesiarum propter Officia seu ministe-
ria divina instituta fuerunt*: ut habet Glossa
in caput ex parte tuâ. De Officio Vicarii;
ergo, cum lex non eximat Beneficium simplex
à Ministerio Ecclesiastico; Beneficiarius qui-
libet, etiam si Beneficium dumtaxat simplex
obtinuerit, tenetur tamen aliquod Ministe-

iam Ecclesiæ exhibere ; alias in iustè redditus Ecclesiasticos percipit. Int' e est , quod in Concilio Agathensi Can. 34. Dicitur. Clerici omnes , qui Ecclesiæ fideliter , vigilanterque deserviunt , stipendia servis laboribus debita secundum SERVITII sui meritum per ordinacionem Canonum à Sacerdotibus consequantur. Ergo si redditus percipi solùm debeant juxta SERVITIUM . nullos potest percipere redditus , qui nullum Ecclesiæ stipendium ministerium.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Clericus , qui potitur solùm Beneficio simplici , tenetur ad omnia munia Communia Clericis , sive ea munia respiciant Deum , sive Ecclesiam , sive proximum , sive seipsum : de quibus Officiis agemus ubi de statu Clericorum : quippè si Beneficiarius simplex potiatur privilegiis Clericorum , debet & munis Clericorum vacare aquum enim est , ut vivat tamquam Clericus , qui exigit tamquam Clericus honorati : juxta hanc regulam juris. *Qui sentit onus , sentire debet & commendum & è contra.* Reg. 55. an. 6.

C O N S E C T A R I U M II. Qui habet Beneficiuni simplex , bebet omnia onera , huic Beneficio conexa exactè obire , v. g. Missas celebrare , quæ in fundatione exprimuntur , preces recitare &c. quia nemo potest redditus alicujus Beneficii percipere , nisi ea exequatur , quæ huic Beneficio adnectuntur ; jus enim naturale exigit , ut pacta & promissa seruemus , & conventionibus itemus : Beneficium

autem simplex est quasi quædam conventio inter fundatorem & Beneficiarium : illud expressè definitur in capite significatum de Præbendis ; ubi dicitur quod *Sacerdos Beneficiarius simplex nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ*, in quâ erat Beneficiarius, & quanto frequentius potest, salvâ honestate suâ, & debitâ devotione, Missarum solemnia celebrare. Tale enim erat onus huic Beneficio annexum. Nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causâ voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.

C O N S E C T A R I U M III. Quamvis Beneficiarius simplex non teneatur ad personalem residentiam ; tenetur tamen ad specialem quædam curam erga eam Ecclesiam, ex quâ percipit redditus temporales : quippè nemini licet otiosè ex altari vivere, aut Lac ex ovi-bus, quas non custodiat, fugere ; est enim quilibet Beneficiarius quasi sponsus ejus Ecclesiæ, quam despousavit ; ergo si sponsæ suæ personaliter non assistat, eam saltem affectu non deserat. Ideo prioribus Ecclesiæ temporibus, ut habemus ex Conciliis, nullus Clericus ordinabatur nisi certo loco, certique Ecclesiæ alligatus ; ita enim loquitur Nicænum. i. Can. 16. *Quicumque sunt Presbyteri aut Diaconi . . . hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas Parœcias revertantur.* Et Calcedonense. Can. X. Sic habet. *Non liceat clericum in Ecclesiis duarum civitatum ordinari.* Ergo secundum spiritum illorum Canonum, qui spiritus semper viget,

dum variam mutationem exterior disciplina suscipit, secundum, inquam, mentem illorum Conciliorum, Beneficiarius simplex debet specialem aliquam curam ei Ecclesiæ, cuius est sponsus, v. g. debet bona spiritualia fidelibus illius procurare, putâ Missionem aliquam, quâ sponsam suam de tam longâ absentia consoletur, debet aliquam suorum reddituum portionem, in fabricam, in ornamenta altaris, in subsidium pauperum hujus loci reservare, debet interdum eam Ecclesiam invicare, ut sedula inspectione, sollicitoque examine persecutetur, quid hæc Ecclesia sibi desponsata exigat, quid hi fideles sibi commissi exposcant; quid demum major Dei gloria circa illud Beneficium efflagitet.

ARTICULUS XII.

Quas obligationes inducat Beneficium in commendam.

PROPOSITIO I. Beneficium in commendam est de genere eorum usuum, quos Tridentina Synodus reformati vehementer exoptat.

Probatur 1º. Ex Trident. sess. 25. Cap. 21. Cupit Synodus... ut iis Monasteriis, quæ nunc commendata reperiuntur; & quæ suos Conveniunt habent, regulares personæ ejusdem Ordinis expressè professæ. & quæ gregi praire, & præcessè possint, præficianturi. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi REGULARIBUS spectate virtutis & sanctitatis conferantur. Ergo optat Sancta Synodus, ut usus conferendi Be-

neficia regularia in commendam, reformatur;

2°. Ex Rebuffo. Titulo de commendâ Ubi sic habet à num. X. Usque ad XXV. Hęc, inquit, Commendarum nimia indulgentia est exitium totius Reipublicæ Christianæ... & juxta Clementem V. plurima incommoda ex hac commendarum concessione oriuntur. I. Divinus Cultus minuitur, nam multi Commendatarii Abbates, vix aut numquam sunt in servitio Dei. II. Animarum cura negligitur. III. Hospitalitas debita non servatur. IV. Ruinis ædificia patent.. V. Omnia jura tam spiritualia, quam temporalia ex ministrorum defectu collabuntur. VI. Omnia jura Monasteriorum & Ecclesiæ destruuntur, devastantur, & deglutiuntur ab istis comessoribus & hoc probat experientia, tam in lignis nemorum quam in omnibus aliis rebus Monasteriorum, quas vendunt. VII. Bigamia contrahitur in Ecclesia cum unus & idem Clericus duas Ecclesias habet, alteram in titulum, alteram in commendam; quod tamen Deus semper odio habuit: *non licet tibi inquit Scriptuta habere uxorem fratris. Vae qui cum alatis agrum agro.* VIII. Decolaratur universalis Ecclesia; quia nullus est sacerdotalis Abbas, qui regulam servet, vel disciplinam, vel qui præcipiat servari. Hactenus Rebuffo.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECARIUM I. Quando Beneficium regulare nondum est in commendâ; pietas exigit, ut non sollicitis precibus urgeamus Papam, ut illud Beneficium à statu

suo naturali; regulari scilicet, ad statum non naturalem, scilicet ad statum commendæ, transferat; non enim bonum est legem hanc universalem Regularia Regularibus, extortis privilegiis infringi; numquam enim purior est Ecclesiæ disciplina quam cum sublatis privilegiis omnes indiscriminatim universalibus legibus subjiciuntur: undè teste Rebuffo, *Cum olim cuidam Sancto Episcopo Parisiensi oblata esset Abbatia, in commendam scilicet, respondit, absit ut cum sponsa habeam concubinam.* Et Paulus IV. Cum rogaetur, ut cuidam filio Regis, habenti jam Episcopatum, Abbatiam in commendam concederet, respondit. *Absit, ut in Ecclesiâ Dei ponam Bigamiam.* Quæ duplex responsio altera Papæ, altera Episcopi Parisiensis aperte ostendunt non immunes à peccatis esse eos omnes qui sollicitis precibus urgent summum Pontificem, ut Beneficium regulare commendatarium reddat.

CONSECTARIUM II. Quando Beneficium regulare est jam in commendâ, pietas exigeret, ut Beneficium illud ad statum regularitatis sibi connaturalem rediret, si hoc commodè fieri posset; major enim hinc vulgo oriretur Ecclesiæ utilitas ut patet exemplo Abbatis de la Trape qui regularitatis zelo incensus Abbatiam suam Commendatariam ad statum regularem, revocandam curavit quique eâ reformatione inductâ pristinum Monasticæ vitæ institutum cum magna Ecclesiæ utilitate ultimis istis temporibus revocavit.

MONITUM. Tot & tanta aliquando emolumenta ex commendis exoriuntur Ecclesiæ, ut non modò malum non sit, sed etiam maxime

mum bonum, Beneficia jam commendata in commendā persistere, aut non dum commenda in commendam redigi; proinde omni profus peccato carent, qui regularia Beneficia in commendam suscipiunt hoc quidem fit quoties judicio prudentis viri existimatur, Abbatem aut priorem Commendatarium Ecclesiae longè utiliorem fore, quam Abbatem aut priorem regularem quod quidem aliquando in certis casibus contingit; quis enim non fateatur multò magis Ecclesiae prodesse Beneficiarum commendatarium, eruditum & probatæ vitæ, quam regularem ignarum & vitiosum? quis etiam neget fuisse eos Abbates commendarios, quales multos jam videmus, qui Ecclesiam. Suā pictate exornant, suis eruditis scriptis locupletant utiliores esse, quam alios non paucos regulares Abbates, solā insciā insignes, qui sub regulā sine regulā vivunt? numquid bona eorum Monasteriorum, in quibus nulla viget Monastica disciplina, sanctius destinarentur ad dotanda Collegiā, ubi adolescentes bonis disciplinis instituantur, ad erigenda seminaria, ubi Clerici nutriantur & ad statum Clericalem efformentur, ad fundandas missiones quibus rudiores populi religionem edoceantur, quam si eadem bona insumentur in nutriendis regularibus, qui nec habitu religioso vestiuntur, nec in eodem Monasterio uniti vivunt, sed sacerdotali habitu vestiti, in privatis domibus dispersi degunt, qui demum de regularitate nihil nisi vacuum & inane nomen retinent, circa quod ita piē & eruditè suo more loquitur Dominus de Fleury in suis institutionibus ad jus Cano-

nici m 2. p. Cap. 26. Il ne faut donc point douter que l'Eglise ne puisse appliquer ses revenus selon l'état de chaque tems : qu'elle n'ait en raison d'unir de Benefices reguliers à des Colleges, à des Séminaires & à d'autres Communautés : & qu'elle n'ait droit de donner des Monastères en Commande aux Evêques , dont les Eglises n'ont pas assez de revenu , & aux Prêtres , qui servent utilement sous la Direction des Evêques. Si quelques uns abusent des Commandes , pour prendre les revenus de l'Eglise sans le servir , ou en accumuler plusieurs sans besoin , ill en rendront compte au terrible Jugement de Dieu.

PROPOSITIO II. Secundum presentem Ecclesiæ usum Beneficiarii Commendatarii , præter Communia singulis Clericis Officia speciali obligatione tenentur , singulas conditiones observare , quæ in brevi aut Bullâ institutionis præscribuntur.

Probatur. Ratione , desumptâ ex jure Canonico. Breve aut Bulla instituens Beneficiariorum Commendatarium est quasi Privilegium , quo contra legem Communem , Beneficium regulate commendatur sacerdoti Clerico ; quia lex communis sic habet. *Regularia regularibus.* Atqui Privilegium deberet tantum in sua forma servari & non ultra extendi ; ut habetur Cap. Porro. De Privilegiis; ergo Beneficiarius Commendatarius tenetur singulas conditiones exactè observare , quæ in brevi aut Bullâ institutionis præscribuntur.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Abbas aut prior Commendatarius tenetur ad omnia Officia, Communia Clericis, ad Officia Communia Beneficiariis & ad munia specialia Abbatibus Commendatariis: est enim. 1º. Clericus, 2º. Beneficiarius. 3º. Demum Abbas Commendatarius. Ergo ad singula illa Officia obligatur, De Officiis Cletici, dicetur, ubi de statu Clericorum; de Officiis Beneficiarii in isto tractatu dictum est: De Officiis Commendatarii in sequentibus Consecariis agendum.

C O N S E C T A R I U M II. Abbas aut Prior Commendatarius, præcisè quatenus Commendatarius, non est propriè Beneficiarius, non enim habet Beneficium in titulum, sed in commendam, nec ad vitam sed ad certum tempus. Nihil potest de fructibus Beneficii percipere. Ita expressè definiat Glossa in Caput. *Nemo.* De electione in 6º. Ubi sic habetur, *Hic*, inquit, *de Commendâ agimus, quæ est custodia Ecclesiæ alicui commissa, & primò queritur, an talis sit pralatus, & dico quod non; sed procurator tantum: habet tamen legitimam administrationem... & quia custos est, nec in Ecclesiâ jus habet, nec in rebus nisi ad colligendum & gubernandum & providendum sibi & Ministeris; & quod superest in utilitatem Ecclesiæ convertendum, sicut de visitatoribus dicitur: Illi autem visitatores erant, quasi Vicarii in spiritualibus & quasi tutores in temporalibus: ut notat Dominus de Fleury loco citato. Unde fit quod præter justam la-*

boris sui retributionem nihil sibi arrogare possint. *Cantela ergo est*, inquit Rebussus de Commea. num. 26. *Quod quis faciat apponere hanc clausulam, scilicet quod licet de fructibus disponere; & tunc impetrans lucrabitur fructus, nec tenebitur de illis rationem reddere, quemadmodum si haberet in titulum. Et si non habeas illam clausulam in Bulla, fac.* inquit, *ut reformetur.*

CONSECTARIUM III. Abbas & Prior Commendatarius, cum hac clausulâ quod licet de fructibus disponere. Verè est Beneficiarius, habetque Beneficium in titulum & non in custodiam habet ad vitam & non ad certum tempus. Debet in Gallia intra annum ad sacros ordines promoveri: sic enim habent declarationes super Concilium Trident. sess. 7. Cap. 2. Ubi sic legitur. Ceterum convenit ut in Galliis indistincte Commendatarii teneantur promoveri ad sacros Ordines; ideoque in concessionibus Commendarum Gallicarum apponitur decretum. Ut infra annum sacris initietur; alioquin post annum elapsum commende vacant, ipso jure. Illud videtur innui in Clementina. *Ne in agro.* De statu Monachorum. Ubi isthæc leguntur. Ceterum Prioratus Conventuales alicui, nisi XXV. annum attigerit, alii verò curam animarum habentes, et si cura ipsa per seculares babeat Presbyteros exercerit cuiquam nisi XX. annum peregerit, Conferri nequeant aut **COMMITTI**. Quæ vox videtur commendam significare, & hoc sit ea fine, ut se faciant ad Sacros Ordines, ad Sacerdotium promoveri; quod si, cessante rationabili causâ, non fuerint, eo ipso, nullâ monitione præmissâ,

predictis prioratibus sint privati. Idem habent statuta blesensis art. IX. Illi Abbates & Priors Conventuales, huic Officio deficientes, privatut Beneficio & ad restitutionem fructuum obligantur. Seront les Benefices, au sudit cas, declarez vacans & impetrables : & les Abbez & Prieurs Conventuels encore contraints de rendre & restituer les fruits, qu'ils ont perçus, pour être employez & distribuez en œuvres pitoyables. Et quamvis forte & decreta lis & edictum loquantur de Beneficiariis regularibus, tamen juxta primum Ecclesiæ Gallianæ eadem lex ad Commendatarios Beneficiarios extenditur.

CONSECTARIUM IV. Abbas & Prior Commendatarius cum hac clausula quod licet de fructibus disponere, nihil potest attentare circa bonorum immobilium vel pretiosorum mobilium alienationem. Sic enim habent clausulae, in commenda positæ. Tale, inquit Papa, *Monasterium, vel Beneficium auctoritate Apostolicâ concedimus & commendamus, ac prouidimus per te quamdiu vixeris, &c.* Tenendum & possidendum; ita quod, durante commendati, hujusmodi de fructibus, & redditibus ipsius N. disponere & ordinare valeas, sicut veri priores ipsius prioratus, qui fuerunt pro tempore, ordinare & disponere potuerant & debuerunt: ALIENATIONE tamen BONORUM IMMOBILUM ET PRETIOSORUM MOBILIUM IPSIUS PRIORATUS Tibi PENITUS INTERDICTA.

CONSECTARIUM V. Abbas vel Prior Commendatarius nihil debet de circa Divinum cultum attentare, quod eum minuat. Sic enim

Enim habet Bulla. *Volumus*, inquit Papa, *Quod propter hujusmodi commendam Divinus cultus, ac solitus Monachorum & Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minuantur, sed illius ac dilectorum filiorum Conventus ejusdem congrue supportentur onera consuetarum & quod iuonibus hujusmodi debite supportariis, nec non QUARTA, si Abbatia sit separata & seorsim à Conventuali: si vero communis mensa inibi existat TERTIA parte omnium fructuum, reddituum, proventuum Monasterii N. hujusmodi in restorationem illius fabricæ seu ornamentorum emptionem, vel fulcimentum, aut pauperum alimoniam, prout major exegerit & suaserit necessitas, omnibus aliis deductis oneribus, annis singulis impartitâ, de residuis Monasterii fructibus redditibusque & proventibus disponere & ordinare liberè & licite valeas...*

CONSECTARIUM VI. Abbas, vel Prior Commendatarius potest de tertia fructuum & emolumentorum & reddituum disponere, tamquam verus illius Beneficii titularis possessor; quia commenda concessa à summo Pontifice, cum prædictis clausulis, est titulus Canonicus, quo Abbas, vel Prior in commendam institutus fructus Beneficii & suos & proprios efficit, non secus ac alii Beneficiarii. Ut docet Rebuffus. De pacifi. possessio. num. 36. Proinde Abbas & Prior Commendatarii possunt Commendam resignare, permutare; commenda enim censetur verum Beneficium; possunt præsentare, aut nominare ad Beneficia curata, quæ dependent ex Abbattia, vel Prioratu; quia dominatio & pri-

sentatio ad Beneficia sunt in fructu; imò possunt pleno jure Beneficiā simplicia conferre, quæ ab Abbatia dependent, possunt exigere simul & frui omnibus emolumentis & utilibus & honorificis, quibus fruerentur Abbates & Priors regulares, excepta jurisdictione spirituali circa regulares exercendâ; quia hæc Omnia sunt in fructu. Sic v. g. possunt juxta antiquitatem suæ receptionis, vel ante, vel post regulares incedere: ut determinavit Greg. 13. an. 1581. Consultus à Concilio provinciali Rotomagensi; possunt succedere post mortem Monachorum peculio ab ipsis relicto; quia pecculum est in fructu: olim istud ultimum concedebatur solis Cardinalibus Commendatariis: jam istud nulli negatur Commendatario; nisi sint specialia concordata inter Abbatem & Monachos inita, quæ illud impedianter; possunt & prohibere ne Monachi tertiam partem fructuum sibi destinatam, vel ultra decennium locent, vel alienando distrahant; etenim ut pote custodes in temporalibus debent tamquam fidei iustores & curatores, bona temporalia Monasterii illæsa & indemnia conservare.

CONSECTARIUM VII. Abbas & Prior Commendatarius nullam habent jurisdictionem spiritualem exercendam circa regulares; quippe eorum institutio Canonica quidem est, sed sacerdotalis & non regularis: unde Commendatarius, nec tamquam judex, nec tamquam pater potest delinquentes punire, sed solum superiores regulares, vel Episcopos in istorum defectu commonere: ut vel Superiores regulares, vel Episcopi admoniti juxta re-

gulas juris, scandala, si qua exorta sint, puniant, aut quin exoriantur impedian. Item commendatarii non possunt Priores claustrales instituere, aut destituere, Novitiis admittere, aut rejicere, & aliâ hujusmodi; quia isthæc omnia pertinent ad jurisdictionem regularem: si tanien Abbas aut Prior commendatarius esset Cardinalis, illa omnia posset, & licet, & validè attentare, ob eminentem statuim sui dignitatem: ita judicatum ann. 1598. In favorem Cardinalis de Gondi.

ARTICULUS XIII.

De distributione fructuum Ecclesiasticorum.

Nota quod bona temporalia Ecclesiaz sunt quod quadruplicis generis. Istiusmodi bona sunt I. Oblationes quotidianæ, ita voluntariæ, ut exigi non possint. Tales sunt oblationes de quibus Paulus 1a. Ad Corint. Cap. 16. v. 2. *Unusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ei placuerit.* De quibus pariter Canones Apostolici 3us. 4us. 5us. Ubi dicitur. *Quod super altare non ponatur, aut mel, aut lac, aut siceræ, nec offerri liceat aliquid ad altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria.* Reliqua poma omnia ad domum ut primitiæ Episcopo, & presbiteris dirigantur. II. Sunt retributiones pro Sacramentis collatis, voluntariæ quidem, sed exigibles non per subtractionem Sacramentorum, sed per actionem coram judice Ecclesiastico. Tales sunt oblationes, quæ longo usu absque pactione consueverant dari vel pro celebratio-

352 MORALES CHRISTIANAE
ne missæ , vel pro Sacramentorum administratione , vel pro sepultura ; de quibus oblationibus Concil. Lateranen. sub Innoc. X. Can. 66. ita decernit. *Pravas exactiones super his fieri prohibemus & pias consuetudines præcipimus observari Statuentes ut libere conferantur Sacra menta ; sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur , qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* III. Sunt bona immobilia , quorum Dominium Ecclesia obtinuit vel per liberalitatem principum , vel per donationes factas à privatis hominibus , vel per restitutionem bonorum ad Christianos pertinentium , quæ temporibus persecutionum fisco addicta fuerant , vel per quamcumque aliam legitimam acquisitionem. IV. Sunt decimæ omnium fructuum , quæ Ecclesiæ adjudicaræ sunt ad imitations Synagogæ , cui olim solvebantur. Lateran. 3. de decimis. par. 4.

PROPOSITIO I. Bona , quorum Ecclesia habet Dominium , hoc ipso quod sunt Ecclesiæ , sacra sunt , nec possunt nisi in usus à Deo , vel ab Ecclesia destinatos adhiberi.

Probatur 1º. Scripturâ. Bona data Apostolis in Pios usus , scilicet in Eleemosinas insumebantur ; *quia non erat egens apud primos fideles.* Actuum 4. v. 34. Ergo bona data Ecclesiæ debent in Pios usus insumi.

2º. Ex Conciliis. 1º. Ex Can. 40. Apostolorum , qui ita habet juxta antiquam versionem. *Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curauerat , & eas administraret , tanquam Deo intuentे ; nec liceat autem ex eis aliquid sibi vindicare , vel proprijs cognatis , quæ Dei sunt , largi-*

7. Si autem sint pauperes, ut pauperibus expeditet, sed non eorum praetextu vendat, quae sunt Ecclesiæ. 2º. Ex Can. 13. Concil. 4. Cartagin. Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. Et Alexander III. Cap. fraternitatem de donationibus. Cum Episcopus, & quilibet prelatus verum Ecclesiasticarum sit procurator, non Dominus. Ergo bona Ecclesiæ non possunt, nisi in Pios usus insumi.

3º. Ex Patribus. Augus. Quæ, inquit, sacrosanctis Ecclesiis à fidelibus collata sunt, Episcopi, Sacerdotes, & Clerici dispensanda suscipiunt, & non recondenda; non possidenda, sed erroganda: quidquid habent, pauperum est, viduarum, orphanorum, & eorum qui altari deserviunt, ut de altari vivant. Sacrilegè eis pauperibus crudelitate subripitur quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique Domini, vel possessores, ultra viatum accipiunt & vestitum. De vita eremitica. Cap. 42.

4º. Ex Canonistis, & Theologis. 1º. Raymundus in Summa. Lib. 2. Titulo de raptoribus, ait. Praelatos, & Clericos, qui talibus, id est histriónibus, meretricibus, divitibus, & conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem. 2º. Antoninus in Summa par. 3º. Titulo 15. Cap. 19. Quod Clerici habent, pauperum est: unde ad restitutionem tenentur omnium vel pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ. 3º. Panormitanus in Cap. cum secundum extra de Præbendis. Si Beneficiarii haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ, quæ malè expenderunt. 4º. Alexander de Alés;

Clerici, qui in malos usus bona Ecclesiae expendunt, sunt raptiores, & fures. Sed inquit; an teneantur ad restitutionem, aliud certe non video; non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: ergo bona Ecclesiae sunt in bonos usus impendenda. Addam cum Soto de instructione Sacerdotum par. 2. l. 3. *Contrarium credimus, erroremque gravissimum, saltē contra bonos mores, & justitiam.*

4º. Ratione petitâ ex intentione fundatorum, qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, & communis Reipublicæ; reliquerunt illis bona temporalia, ut per ea debeant Sacræ liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus Piis Clericis Deus colatur, inquit Codex Justiniani: ergo non licet Clericis ea bona in alios usus intumere.

5º. Ratione desumptâ ex divisione bonorum Ecclesiae; divisio quæ facta est circa bona Ecclesiastica in quatuor partes nullam in eorumdem bonorum naturâ mutationem invexit: ided manent Sacra & Piis usibus destinata. Et licet trecentis ab hinc annis valeant in foro externo testamenta Clericorum ex bonis etiam sibi ex Beneficio partis, hinc non sequitur Clericos habere illorum bonorum Dominium; quia hæc licentia fundatur in præsumptione, quod Clerici non dant nisi ea bona, quæ iustis titulis acquisierunt, idque permisum est ad vitandas lites, quæ oriri possent indiscernendo, quæ essent bona provenientia ex Beneficiis, & provenientia ex paterna hereditate, aut ex alio titulo.

Et in capitularibus francorum libi 1. Cap.

73. Carolus magnus fatetur se nosse juxta Sanctorum Patrum traditionem res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Et proinde easdem res in Plos usus esse expendendas.

C O N S E C T A R I U M Unicum. Dato, & non concessò quodd Clerici sint absolutè Domini reddituum omnium quos ex Beneficiis suis percipiunt, ad præceptum de dandis Eleemosynis tenentur multò pluribus, & urgentioribus titulis, quam Laici, inquit Soto acerrimus defensor illius opinionis quæ Dominium absolutum bonorum Ecclesiasticorum abscribit Beneficiariis. Etenim Beneficiarii quantumvis Domini reddituum Ecclesiasticorum, tenentur esse viduis favori, & auxilio mariti, orphanis tanquam patres, ac denique universis mendicis, & inopibus singulare præsidium, ac suffragium Viduarum enim honestas, Virginum pudor, rei familiaris penuria vehementer aritetatur, & famam patientes jurandi, furandi, &c. Periculis sunt expositi; quibus cavendis antistites pro sua quisque facultate prospicerè vigilantissimè debent. Et post peractam, bonorum Ecclesiasticorum divisionem debent Beneficiarii animo recolere quomodo Apostoli Diaconorum ministerio tam impensè viduarum, orphanorum, indigentiumque curam gerebant. Neque vero debent de memoria prorsus delere Ecclesiasticos fructus spirituales esse, gratiaque divini cultus, & peculiariter in honorem Christi impensos: cui tam cordi: fuit pauperes suæ familie commendare, ac potissimum pastoribus quibus illam fiderenter commisit. Hac tenus Soto lib. 10. De justitia, & jure q. 4.

à 4. multasque affert hujus assertionis rationes, & quidem gravissimas. Etenim juxta omnes Doctores, tenentur singuli homines superfluum dare pauperibus: juxta illud, quod superest date. In Beneficiariis autem longè plura sunt superflua, quam Laicis. Quippe Clerici frugalius vivere debent, quam divites hujus mundi. Neque enim conviviorum splendor, & Lautities Clericis nunquam potest esse licita, neque alius domesticus apparatus; nam, ut ait Hieronimus. *De altari illis fas est vivere, non luxuriari.* Præterea cum uxori-bus careant, eximio inde sumptu eripiuntur, quo vulgo opprimuntur mariti, cum prolem non habeant quam nutriant, quam instituant, quam vestiant, &c. Non alios debent habere filios, quam pauperes. Rursus ergo dato, & non concessò quod Beneficiarii sint Domini fructum Ecclesiasticorum, non idè debent suam conscientiam paccare, si in Elæmosinis errogandis remissiores sint. Nam cum, inquit, idem autor, *præceptum misericordiae . . . Sub reatu criminis mortalis obliget, inde satis debent excitari, ut fidem Deo suo illæsam servent, præterquam quod quamvis justitia eos ad restituitionem non obliget, debent profectò eorum confessarii, tam durante vitâ, quam in mortis articulo, eis quos pauperum negligentes noverint, per modum Sacramentalis fai factio[n]is largissimas Elæmosinas inponere, ut eodem prope modum res recidat, ac si lege justitiae ad restituitionem tenerentur.*

PROPOSITIO II. Si Clerici sibi approprient, aut dissipent bona Ecclesiastica, quorum ex dictis non sunt Domini, sed dispensa-

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS. 357
tores, peccant contra justitiam, & ad restitu-
tionem tenentur.

Probatur. 1º. Peccant; quia male contrec-
tant bona temporalia Ecclesiae. 2º. Peccant
contra justitiam; quia male contrectant bona,
quorum non sunt Domini. 3º. Ad restitu-
tionem tenentur; quia, qui peccat contra justi-
tiam, ad restitutionem tenetur.

CONSECTARIUM Unicum. Clericū
peccant in sequentibus casibus, & ad restitu-
tionem tenentur.

1º. Si usurpent, dissipent, aut vendant bo-
na immobilia; quia non sunt illorum bonorum
Domini; sed ad Summum usufructuarii, vel
æconomi. Qui ita se gerit, furatur, diripit
devorat pauperum res; absorbet substantiam
pauperum, inquit Chrisost. Homil. 12. In Epist.
ad titum.

2º. Si bona Ecclesiastica alicui usui desti-
nata, v. g. vel cultui divino, vel pauperibus,
vel fabricæ, vel Clericis retineant; quia in-
quit D. Thom. 2. 2. q. 18. s. à 7. in corp. Non
est dubium, quin contra fidem dispensationis
agit, & mortaliter peccat, & ad restitucionem
tenetur. Et Concil. Trident. sess 25. cap. 8.
de reform. Hæc habet. Prædicti etiam ad
fructuum restitucionem, quos contra ipsorum
hospitalium institutionem percepérunt, quæ nulla
eis remissione, aut compositione indulgeantur in
foro conscientiæ teneantur.

3º. Si bona superflua decenti eorum suspen-
tationi, aut retineant, ut ditiores fiant, aut
in pravos usus dissipent. Quia in nova lege de-
cimæ, & alia bona dantur Clericis, non solum
propter sui sustentationem, sed etiam ut ex eis

558 MORALIS CHRISTIANA;

subveniant pauperibus. Et idem non superfluunt ; sed ad hoc ; id est ad Eleemosinas, sunt necessaria. 2. 2. q. 87. à 3. ad 1. Et idem Clerici peccant contra justitiam, si in alios usus insument. Et proinde ad restitutionem tenentur.

P R O P O S I T I O III. *Si Clerici dissident, aut in pravos usus insument ea bona, quorum sunt Domini, peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem.*

Probatur. 1º. Peccant; quia agunt contra legem, quæ vetat pravum usum bonorum, quorum sumus Domini. 2º. Non tenentur ad restitutionem; quia non agunt contra justitiam commutativam.

C O N S E C T A R I U M Unicum. *Clerici peccant in sequentibus casibus, non tamen obligantur ad restitutionem.*

1º. Si male insument bona patrimonialia, ea scilicet, quæ acquirunt, ut Laici, v. g. hereditare, industriæ, donatione, aliove modo, vivendo int̄ om̄ ex Beneficii redditibus; quia sunt veri eorum bonorum Domini; quia quamvis Clericus laudabiliter se gerat, qui ad exemplum Pauli gratis ministrat Ecclesiæ, & paternis bonis vescitur, & redditus Ecclesiasticos distribuit pauperibus; tamen licet potest bonis Ecclesiasticis sustentari. Quis enim, inquit Paulus, militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 1a. Ad Corinth. Cap. 9. v. 7.

*2º. Si male insument bona quasi patrimonialia, vel si velis, quasi Castrentia, quæ acqui-
xunt quidem, ut Clerici, sed tanquam stipen-*

dia suis laboribus debita. Tales sunt retribu-
tiones pro concionibus , pro missâ , pro fu-
nere , pro officio defunctorum , pro adminis-
tratione Sacramentorum , pro anniversariis, pro
Vicariatûs famulatu ; videntur enim esse co-
rum bonorum Domini, juxta illud Concil. &
Agath. Clerici omnes , qui fideliter Ecclesie
deserviunt , stipendia sanctis laboribus debita ,
secundum sui servitii meritum , vel ordinationem
Canonum , à Sacerdotibus , seu Episcopis conse-
quantur. Concil. Agath. Can. 36. Ergo vide-
tur supponere Concilium , quod acquirant
illorum bonorum Dominium , cum dicat ea
bona Clericis deberij.

3º Si male insument eos redditus Benefi-
ci, quos parcè vivendo subtrahunt congruæ
decentique sustentationi ; quia quilibet Cle-
ricus est verè Dominus illius portionis , quæ
congruæ decentique ejus sustentationi des-
tinatur.

Quæ hactenus diximus de Beneficiis ad
forum partim internum , partim externum re-
ducuntur ; suntque admodum necessaria ad re-
solvendos casus conscientiæ , qui circa illam
materiam proponi solent ; sed fortè non erimus
lectoribus ingrati . si quæ spectant praxim Be-
neficiariam latè à Petro Rebusto conscriptam,
in compendium redigamus , ut quilibet in bre-
vi quadam synopsi habeat , quæ tam insig-
nis auctor longo & ingenti volumine exaravit.
Ideo sit.

TRACTATUS SECUNDUS

[De praxi Beneficiaria juxta Rebuffum.]

PROEMIUM.

TOUM JUS , teste Ulpiano , circa rem quam libet consistit vel in acquirendo , vel in conservando , vel in amittendo ; ideo Rebuffus proxim Beneficiariam in tres partes divisit , prima exponit quomodo acquirantur Beneficia , secunda quomodo conserventur , tertia verò quomodo amittantur . Nus Rebuffo inharentes immensam illam materiam tribus capitibus concludemus . Abstinebimus à citatione vel legum , vel auctorum ; ut pote breuem solūm synopsim proponentes praxis Beneficiariz , quam supponimus , ut re vera est , insufficienter apud Rebuffum & stabilitam & probatam .

CAPUT I.

Quomodo acquirantur Beneficia , quæve instrumenta ad Beneficium suscipiendum sint necessaria .

ARTICULUS I.

De instrumentis publicis necessariò requisitis ad Beneficium valide suscipiendum .

AD Beneficium valide suscipiendum necessariæ sunt litteræ Baptisni , Tonsu-

re litteræ dimissoriæ : si Tonsuram , aut ordines alius quam proprius Episcopus contulerit ; item constare debet de litteris Vicarii Generalis , si Vicarius Generalis Beneficium conferat , aut litteras dimissorias largiatur : item necessariæ sunt litteræ , quibus constet de institutione Canonica , sive ea sit , vel electio , vel præsentatio , vel collatio : necessariæ etiam sunt litteræ attestantes missionem in possessionem ; ut loquuntur. Demum in suscipiendis Beneficiis quidquid agitur , quidquid requiritur , instrumentis publicis probari debet. Cum autem hæc instrumenta publica in foro contentioso , si lis forte exortiatur examinanda sint ; oportet ea esse munita iisdem solemnitatibus , quibus muniri solent instrumenta , quæ in jure Civili fidem faciunt ; inde nata sunt ea edicta Regia , quibus jubetur , ut insinuentur , id est , registro publico dentur omnia , & singula instrumenta , quibus Beneficia acquirimus , conservamus , aut amittimus ; ut solemni illa publicitate tollatur omnis suspicio falsitatis : inde est pariter , quod ea , quæ suspecta efficiunt apud judices civiles instrumenta publica , eadem & suspecta reddunt instrumenta quibus Beneficia , vel suscipimus , vel conservamus , vel amittimus , v. g: Rasura , aut cancellatio in loco , vel necessario , vel essentiali suspectum reddit illud instrumentum , in quo reperitur : inde est pariter , quod sicut in foro civili , si forte , velflammā , vel aquā , vel furto , vel alio casu instrumenta primæva amiserimus , ea supplemus vel extrahendo transumpta fidelia ex registris publicis , vel si

registra publica perierint , per testes ea , quantum possumus , comprobamus ; idem omnino præstatur , si casu aliquo litteras , baptismi , Tonsuræ , Ordinum , perdiderimus , & ex registris publicis transumpta habere nequeamus . His præfatis , jam de instrumentis necessariis ad suscipienda Beneficia sigillatim agamus .

De Litteris Baptismi recepti. Nemo potest Tonsuram recipere , nisi sit Baptizatus . Ideò Episcopus non confert Tonsuram , nisi constet eum , qui ei offertur , fuisse Baptizatum . litteræ attestantes Baptismum fuisse receptum ab eo , qui Tonsuram postulat debent esse à Parocho , vel ejus Vicario subscriptæ , debent insuper esse manu publica ob-signatæ , vel , ut dicunt galli , le Baptistaire doit être legalisé .

De litteris Tonsuræ. In litteris Tonsuræ requiruntur quæ hinc subjicio . I. Nomen Episcopi , v. g. Joannes miseratione divina , ac sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Tolosanus Episcopus . II. Exprimendus est locus , in quo data est Tonsura III. Exprimi debet nomen & cognomen recipientis Tonsuram , ejusque Patris , & Matris nomen , & expressè indicari debet , an Tonsuratus sit ex legitimo , vel illegitimo thoro oriundus . si forte sit illegitimus , non reticendum datam fuisse dispensationem ab Episcopo , ad simplex Beneficium suscipiendum ; ad alia verò Beneficia suscipienda , non nisi per Papam dari potest dispensatio illegitimis .

IV. Litteræ debent attestari legitimam æatem , scientiam competentem , aliasve dotes

ad Tonsuram necessarias. V. Cum Tonsura conferri nequeat occulte , & constare debeat , an revera collata sit , litteræ debent mentionem facere de testibus , coram quibus collata est , nisi in solemni ordinatione recepta fuisset. VI. Demum debent in Calce litterarum scribi annus , mensis , dies , quibus collata est Tonsura ; debent subscribi ab Episcopo , Secretario Episcopi , & sigillo publico Episcopi muniri.

De Litteris dimissoriis. Qui vult accipere Tonsuram , aut ordines ab alio , quam à proprio Episcopo , debet ab Episcopo , cui subest , vel ab ejus Vicario Generali , vel à Capitulo , Sede vacante , litteras dimissorias obtinere , alias Beneficium collatum poterit coram judice impetrari ut loquuntur , id est poterit conferri alteri. Litteræ dimissoriæ requirunt quæ h̄c subjiciuntur. I. Nomen illius qui dat litteras dimissorias. II. Autoritatem quam habet eas dandi. III. Qui dat litteras dimissorias , debet habere autoritatem spiritualem supra eum , cui dantur litteræ dimissoriæ : ideo Laicus non potest dare litteras dimissorias , nec ille Clericus , qui est solum per regem ad Episcopatum nominatus ; non dum enim habet autoritatem spiritualem. IV. Litteræ dimissoriæ debent præcedere collationem Tonsuræ , aut Ordinum : non enim sufficit rati habitio , quā approbetur quod factum est.. V. Debent exprimere non vagè , sed determinatè nomen illius , cui conceduntur , & ordinem , propter quem dantur , & nomen illius Episcopi , ad quem diriguntur ; nisi expressè dicatur , à quocumque Episcopo ,

&c. Et dicatur ad omnes ordines! &c. VI. Literæ dimissoriæ exirant morte concedentis, aut ejus depositione.

ARTICULUS II.

Quomodo detur Beneficium.

Beneficium datur vel per electionem, vel per præsentationem, vel per Collationem. Elec^{tio} est alicujus personæ idoneæ ad prælationem, vel fraternalm societatem canonice facta vocatio, ut dicit Hostiensis. Præsentatio est alicujus personæ idoneæ per legitimum Patronum exhibitio facta vel Episcopo, vel alteri ad quem pertinet institutio. Collatio est libera quædam Beneficii, seu, Præbendæ concessio.

Ad collationem Beneficii requiruntur quædam ex parte conferentis, quædam ex parte recipientis, & quædam ex parte ipsiusin et Beneficii.

Ex parte conferentis requiritur quod sit habilis ad conferendum v. g. Quod non sit excommunicatus, quod pure conferat, & non sub conditione, quod sponte, & liberè conferat, nequaquam vero coactus, nec per violentiam, nec per metum; quod palam, & coram testibus id faciat, & instrumentum collationis duobus, aut tribus testibus obsignetur: oportet insuper quod Beneficium non ad tempus, sed ad vitam conferat, nisi procurator daretur ad tempus Ecclesiæ vacanti.

Demum necesse est ut Beneficium sine fructuum diminutione tradatur.

Ex parte vero recipientis requiritur quod habeat & voluntatem recipiendi Beneficium, capacitatem exequendi officia adjuncta Beneficio; scilicet bonos mores, scientiam competentem, etatem legitimam, & ordinem requisitum. Unde Beneficium conferri nequit infami; illiterato, infanti, non Tonsurato; etas autem necessaria ad recipiendam Tonsuram est septimus annus completus. Post septem annos completos possunt conferri Minoris Ordines. Tonsura requiritur; & sufficit ad quodlibet Beneficium recipiendum modo intra annum ordo requisitus recipiatur. Ad Cardinalatum requiritur Ordo juxta suum titulum v. g. Diaconatus, si titulum habeat Diaconi. Presbyteratus, si titulum habeat Presbyteri. Ad Episcopatum requiritur saltem Subdiaconatus, & vigesimus septimus annus in Gallia; ad Archidiaconatum Diaconatus, ad Abbatiam Presbyteratus. Qui Beneficia suscipit non debet esse conjugatus, nec illegitimus, nisi iste dispensemur si is cui confertur Beneficium absens fuerit, debet expectari ejus acceptatio, & consensus.

Ex parte ipsius Beneficii requiritur quod Beneficium sit vacans vel de facto, vel de jure. De facto ut si Beneficiarius mortuus sit, vel vivens ei renuntiaverit, vel de jure ut si Beneficiarius nec mortuus sit nec renuntiavit Beneficio, sed Beneficium injuste detineat. putat si detineat duo Beneficia incompatibilia, &c.

Post electionem, præsentationem, & collationem, & institutionem sequitur missio in possessionem, ut dicunt, quæ sit vel per No-

tarium , vel per Clericum , & hoc ne ~~ii~~
 Beneficiarius propria autoritate possessionem
 Beneficii adiret ; tanquam prædo haberetur.
 Missio autem in possessionem scribenda est in
 instrumento publico , in quo afferitur , quod
 Clericus vel Notarius Beneficiarium in posses-
 sionem immisit per ingressum v. g. In Ec-
 clesiam per aspersionem aquæ Benedictæ , per
 osculum altaris , per pulsum campanæ , &c.
 Addendumque instrumento an si quis se op-
 posuerit , necne ; si quis Ecclesiam ingredi non
 valeat , sufficit quod annulum portæ contin-
 gagat : immo ; si quis resistat , & portam tangere
 non possit Beneficiarius , sufficit quod pinna-
 culum Ecclesiæ aspiciat ; quia non penes
 ipsum stat , si non ingrediatur.

ARTICULUS III.

*De variis provisionibus quibus datur Bene-
ficium*

SI Beneficium detur sive per electionem ,
 sive per præsentationem , sive per colla-
 tionem , debent dari provisiones , seu instru-
 menta publica , quibus certum sit Beneficium
 collatum esse tali.

*De forma collationis , & provisionis ordina-
 riorum.* Forma collationis ordinariorum de-
 bet continere quæ hic subjiciuntur I. Debet
 exprimi nomen collatoris , & nomen illius
 cui confertur ille debet asserere se certò cog-
 noscere meritum recipientis , iste verò debet
 liberè acceptare Beneficium , & jurare se præ-
 titum officia annexa Beneficio. Debet

enarrari expressè modus, quo vacavit Beneficium, an per mortem, an per renuntiationem; nec modus vacandi pro expresso haberi potest. Ordinarius collator non potest istam clausulam adhibere *quovis modo vacet*, nec clausulam *Non obstantibus*, nec clausam *pro hac vice*; id enim ad solum Papam pertinet, qui quoquo modo Beneficia conferre potest, & quascumque obstantias, seu impedimenta tollere. Exprimenda est Diœcesis in qua situm est Beneficium, & reticeri non debet nomen Sancti cui dicata est Ecclesia, vel cappella in qua est Beneficium. Mentio pariter debet fieri nominis Beneficiarii immediati; immò & nominis procuratoris, si per procuratorem facta sit resignatio. Collatio debet duobus saltē testibus obsignari, alias ei non crederetur, quamvis deinde collator daret litteras Testimoniales quibus assereret se contulisse Beneficium. Instrumenta collationis, seu provisionis, ut dicunt, debent scribi eadem manu; si enim diversa sit scriptio fiunt suspectæ falsitatis. Qui semel contulit uni, idem non potest illud ipsum Beneficium conferre alteri, nec revocare collationem, si male contulerit; est enim privatus pro hac vice potestate iterum conferendi, nisi esset Patronus Laicus. Qui variare potest, ut dicunt, Episcopus tamen, aut aliis quicunque collator, potest jam collatum Beneficium iterum altero jure, altero et titulo conferre, v.g. si primò contulerit in mensibus graduatorum non graduato; postea vero graduato requirenti conferre potest; prima enim vice voluntariè contulerat; secunda

verò vice consert tanquam executor concordatorum. Item si Episcopus ad nominacionem Patroni instituat nominatum , potest tanquam verus collator , vel eidem , vel alteri illud idem Beneficium conferre ; vel si errore facti decepitus conferat Beneficium quod credebatur vacasse , detecto errore , potest illud idem Beneficium eidem , vel alteri conferre , inter plurimas ejusdem Beneficii collationes , prima præfertur secundæ ; nisi prior collatio esset vitiosa , vel ex parte conferentis , vel ex parte recipientis , vel ex parte Beneficii. Collator potest uni , & eidem duo Beneficia incompossibilia conferre ; quia recipiens sex habet menses ad eligendum. Episcopus aliquando consert per se ipsum , aliquando per Vicarium Generalem.

De Vicario Generali Episcopi. Vicarius Generalis est ille qui vices gerit Episcopi. Vicarius Episcopi non solo natus , vel verbo , vel privatis literis constitui potest , sed litteris publicis per plures testes , & per Secretarium obsignatis , & sigillo officii munitis , & ab ipso Episcopo suscriptis , & in registro publico insinuatis ; alias in Gallia non agnoscetur in foro externo Vicarii Generalis autoritas. Debet Vicarius Generalis constitui in temporalibus , & in spiritualibus. Qui eligitur Vicarius Generalis debet esse tanto officio idoneus , scilicet ætate , moribus , & scientiâ ; natus ad minus viginti quinque annos , moribus optimis . & scientiâ non comuni. Canonicus regularis potest esse Vicarius Generalis , immò & Monachus , modò Religiosum sui ordinis socium habeat Reli-

giosus mendicans nequit esse Vicarius Generalis; illud officium gerere nequit officialis Regius putà præses consiliarius, bailivus negotiis regiis occupatus, nec ad eam dignitatem evenhi potest Laicus, ut pote Clericali dignitate non insignitus. Autoritas Vicarii Generalis ex litteris quibus instituitur dignosci debet. Talis tantaque est ejus autoritas, qualis quantave ei conceditur per Episcopum: si Generaliter constituatur *in temporalibus, & spiritualibus*, ut mos est, poterit omnem actionem spiritualem pertinentem ad jurisdictionem Episcopalem exercere; quia generale mandatum ad nihil restringitur, v. g. poterit interdicere, suspendere, excommunicare dispensare, &c. Sed non poterit exercere per seipsum actiones pertinentes ad characterem Episcopalem v. g. confirmare, ordinare, abbatissas benedicere Ecclesias consecrare. Demum ut certò constet fide autoritate Vicarii Generalis in conferendis Beneficiis, in admittendis resignationibus, & in his peragendis quæ ad proxim Beneficiariam spectant, debet Episcopus expressè eam potestatem in litteris publicis exprimere, ut tollatur occasio litium, dum provisiones Beneficiorum fiunt à Vicario Generali.

De provisionibus emanantibus à Papa. Papa potest providere Beneficiis vacaturis, & vacantibus. Providet vacaturis diversimodè per privilegium, per mandatum, per reservationem, per expectativam. Per privilegium quando dat alicui qui non est legitimus collator privilegium conferendi aliquod Beneficium, per mandatum, quando jubet tale

Beneficium conferri tali , & non alii. Per reservationem , quandò sibi reservat collationem talis Beneficii vacaturi. Per expectativam , quandò dat litteras alicui quibus designatur , ut digno cui tale Beneficium conferatur. Sed quia modi illi conferendi nullius ferè usus sunt in Gallia , quia occasione essent optandi mortem illius qui Beneficium possidet , ideoque non immorandum est in explicando modo secundùm quem Papa potest providere Beneficiis vacaturis ; & explicandum superest quo modo provideat Papa Beneficiis vacantibus.

CAPUT III.

De provisionibus Papæ circa Beneficia vacantia.

PRÆTER ea Beneficia quorum Papa est specialis collator , de quibus egimus in superiori tractatu , Papa habet insuper generalem quamdam potestatem circa Beneficia singula vacantia , quoquovis modo vacent , eaque conferre solet vel *motu proprio* , vel post supplicationem . Sed quia in Gallia non admittuntur provisiones *motu proprio* , agendum ergo est de provisionibus quæ emanant à Papa post supplicationem , ei oblatam ; & explicantur tenor supplicationis oratoris & tenor responsionis Papæ . Hæ autem provisiones vel dant primò Beneficium , & vocantur , primæ , vel jus juri addendo datum jam Beneficium in quantum opus est confirmant , & vocantur secundæ ; dant Beneficium ; vel in commendam , vel in titulum , vel Beneficia

non unita uniunt, vel jam unita disolvunt, vel Beneficia errigunt, aut Beneficium de uno loco in alium transferunt, quæ singula h̄ic breviter percurremus.

Explicatur supplicatio ad Papam, quæ sic habet, Beatisime pater; Quia Papa pater est omnium fidelium. Supplicat, id est suppliciter orat sanctitatem vestram, quia Papa sanctus est dignitate, licet non sit semper moribus. Devotus orator, id est prelator fidelis, & subditus Joannes N. quia nisi exprimeretur nomen & cognomen lateret cui conceditur gratia. Clericus, &c Quia Laicus non potest Beneficium acceptare h̄ic referuntur dotes & qualitates oratoris putâ, an sit sacerdotalis vel regularis, collatio est nulla si taceantur qualitates quæ redderent Papam difficultorem ad concedendum minimè si taceantur illæ quæ efficerent facilitatem Diecæsis N. Quia si reticeretur Diecæsis, aut alia pro alia poneretur, nulla esset concessio. Ecclesiæ Sanctorum N. vacet, quia debet exprimi nomen Sancti cui dicata est Ecclesia in qua est Beneficium, ne incerta sit Beneficii concessio. Loci de N. Quia debet exprimi locus in qua est Beneficium. Vacet per obitum; quia debet exprimi modus secundum quem Beneficium vacat. Ludovici. N. Quia nomen, & cognomen Beneficiarii immediati debet apponi defuncti extra Romanam curiam, quia Beneficium defuncti in curia Romana reservatur Papæ cuius fructus ad 24. Ducata, quia si ad 30. Ducata pertingent deberent annatæ. Sive quovis modo ut ea cautione Beneficium concedatur, quoquo modo vacaverit Joannis N. aut alterius

cujuscumque personæ, ut eo modo concedatur Beneficium, sive per mortem Joannis, sive per mortem alterius vacaverit, sive per resignationem dicti Joannis, ut eā cautelā concedatur Beneficium, etiamsi resignatum fuerit per resignationem liberam, quia resignatio coacta vi, aut metu facta, nulla est, etiamsi vacet per constitutionem Joannis 22. Quà Beneficium duplex curatum per mensem sine dispensatione retineri non potest, etiam si vacet per incapacitatem, inhabilitatem *cujuscumque personæ* per devolutum, litigium, &c. Ut eā cautione Beneficium concedatur quoquo modo vacaverit.

Huic supplicationi respondet Pontifex hujusmodi fiat ut petitur ibique apponitur prima littera nominis Papæ vel scribuntur solū isthac verba. *Concessum in præsentia Domini Papæ N.* Hicque ponitur nomen Cardinalis Datarii.

Postea subjungitur *cum absolutione*, scilicet à censuris quæ obesse possent, ne tale recipetur Beneficium. Additur *quod obstantiae omnes* habeantur pra expressis & hoc modo videtur quod v. g. si non expressus fuerit verus valor Beneficii, verus modus vacationis verus status litigii, &c. Implicitè exprimantur ea quæ expressè reticentur. Multa alia adduntur in supplicatione, quæ de stilo sunt magis, quam de re. Ideo ea reticeo. Si orator litteras testimoniales de vita, & moribus ab Episcopo acceperit, easque ad Papam miserit Beneficium datur *in forma dignum*, id est quasi recipiens post examen dignus inventus esset. Si vero hujusmodi litteras non miserit, aut Beneficium

Beneficium sit Parochiale, Beneficiarius examinatur ab Episcopo, ut jubet Tridentum si forte contingat aliquis defectus, vel in orationis supplicatione directa ad Papam, vel in Papae responsione directa ad oratorem; hujusmodi defectibus medendum est, quod utique fit per novam provisionem. Nova autem haec provisio est rescriptum Papae directum ad Beneficiarium, quod sic habet. *Filius Papa, v. g.* (quia exprimi debet nomen Papae gratiam concedentis) *dilecto filio N.* (quia exprimatur, oportet nomen illius, cui gratia conceditur) *Rebtori, aut Vicario perpetuo Ecclesiae N.* (quia qualitas illius, cui conceditur gratia, reticeri non debet) *viritutum merita, &c.* *Inducunt nos, ut ibi reddamus ad gratiam liberales,* ut ea prefatione constet, à Papa non sine causa novam provisionem concedi. *cum, ut tua petitio prefereret, tu dubites collationem, &* provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere (quippe motivum aliquod, vel certum, vel dubium debet precedere, ut novae dentur provisiones) *nos premissorum meritorum intuitu specialem gratiam facere volentes, à quibuscumque censuris, &c.* Ad hunc solum effectum absolvimus. Postea subjungit, quod si quae, vel circa modum, quo Beneficium vacavit, vel reservatum est, expressa non fuerint, vel si quid non fuerit expressum circa litigium de hujusmodi Beneficio, modo tempore date presentium non sit alicui specioliter jus acquisitionis circa illud Beneficium; nos, inquit, ea omnia praesentibus pro expressis habentes. . . . mandamus tali & tali N. Ut te, vel procuratorem tuum, tuo nomine in corporalem possessionem

dictæ Ecclesie inducunt autoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicio detinore. Subjungit demum, quod ejus sit intentionis, ut nullo modo effectus hujusmodi gratiæ impediti valeat, vel differri. Et sic concluditur rescriptum; & nova hac provisione, quidquid in priori provisione vel omissum, vel peccatum fuerat, reparatur.

REGULÆ CANCELLARIÆ RECEPΤÆ IN GALLIA. Juxta Dujatium sequentes regulæ recipiuntur in Gallia, & impediunt, ne provisiones Papæ suum effectum consequantur.

Prima regula, quæ ordine est 19. Dicitur regula de viginti, & sic habet. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, sive simplicitè, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, sui ipius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae, & posteà intra viginti dies à die per ipsum resonantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis autoritate conferatur per Resignationem. sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

Secunda regula, quæ ordine est 20. diciturque de impenitibus Beneficia viventium, sic habet. Item si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque, tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & posteà per obitum ejus vacet, provisio & quavis dispositio, dicta

DE PRAXI BENEFICIARIA. 379
supplicanti , per obitum hujusmodi , denud
faciendæ , nullius sint roboris , vel momenti .

Tertia regula , quæ ordine est 30. Dicitur
que de verosimili notitia , sic habet. Item
voluit , & ordinavit , quod omnes gratiæ ,
quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis
cum cura , vel sine cura , sacerdotalibus , vel
regularibus , per obitum quarumcumque per-
sonarum vacantibus , in anteâ secerit , nul-
lius roboris , vel momenti sint , nisi post obi-
tum , & ante datam gratiarum hujusmodi tan-
tum tempus effluxerit , quod interim vaca-
tiones ipsæ de locis , in quibus personæ præ-
dictæ decesserint , ad notitiam ejusdem D. N.
verisimiliter potuerint pervenisse.

Regula quarta , quæ ordine est 34. dicitur
que de publicandis resignationibus , sic habet.
Item voluit D. N. Quod concurrentibus ea-
dem die super quocumque Beneficio , per fiat ,
& concessum , signaturis , ex eis , per fiat ,
etiam , ut petitur , habens , alteri per concessum
etiam motu proprio habenti præferatur ,
etiamsi in illa per concessum præstantiores ,
& quantumlibet privilegiative , essent clau-
sulae.

DE PROVISIONIEBUS PER COMME-
DAM. Provisio per commendam ea est , per
quam Beneficium sacerdotali datur regulari ,
aut regulare sacerdotali , non solum in custo-
diam , sed etiam in titulum quod à solo Pa-
pa fieri potest , dispensando ab hac regula sacer-
dotalia sacerdotalibus ; regularia regularibus. Re-
gulari non potest dari nisi uscum Beneficium ,
quippe qui professus paupertatem unico Be-

neficio debet esse contentus; sacerdotali vero plura Beneficia ex dispensatione conferri possunt; scilicet unum in titulum, alterum in commendam, licet illa Beneficia aliundem sint incompatibilia. Beneficiis Claustralibus, v. g. Prioratus Claustralis, &c. non possunt in commendam conferri. Beneficium in commendam potest resignari, permutari, &c. non secundum ac aliud quocumque Beneficium. Beneficium semel Collatum in commendam, non potest conferri, nisi facta mentione commendae. Beneficium datum in commendam post tres collationes sibi succedentes, ita necessitat Papam, ut illud idem Beneficium conferre cogatur sacerdotali in commendam.

DE UNIONE DUORUM BENEFICIORUM, VEL DUARUM ECCLESiarum.
 Unio est duarum Ecclesiarum a legitimo superiore Ecclesiastico facta annexio. Unio duorum Beneficiorum simplicium potest fieri per Episcopum, duarum vero Parochiarum. vel Episcopatum, vel dignitatum nequirit fieri, nisi per Papam. Unio autem fit vel ad tempus, vel ad perpetuum. Unionem ad tempus non recipimus in Gallia; quia sapit reservationem: bene tamen unionem in perpetuum, si intervenerint conditiones ad hoc necessariae. Fit autem unio tribus modis; primo ita ut unum Beneficium subjiciatur alteri: secundo ut quodlibet Beneficium tale remaneat, quale ante erat. Tertio ut ex pluribus Beneficiis fiat unum. Episcopus exigua Beneficia potest in suo Episcopatu unire. Legatus in rotu tractu suae legationis consentiente Episcopo; minimè vero dissentiente. Abbates,

& inferiores prælati Beneficia unire non possunt. Capitulum Beneficia unire poterit, si hæc unio præjudicium Episcopo non afferat. Vicarius Generalis ea potest unire Beneficia, quæ ab Episcopo uniri possunt. Unio Beneficiorum debet habere pro fine maiorem Dei cultum, & utilitatem populi. Post unionem fideles utriusque Ecclesiæ participant de spiritualibus bonis utriusque Beneficii; ideoque vocandi sunt, sed eorum consensus non requiritur, modo interveniat consensus Episcopi, qui vices gerit plebis. Requiritur tamen consensus Patroni, eoque dissentiente, unio fieri non potest. Licet ad unionem vocari debeant vocandi, scilicet Episcopus, Capitulum, populus, & Patronus, si sint aliqui perperam nolentes, ipsis invitatis, potest fieri unio. Quando Ecclesiæ Parochiales uniuntur mensæ Capituli, vel Episcopi, non constituitur Vicarius perpetuus; bene tamen quando unitur Beneficium Conventui regulari, nisi in unione fiat expressa mentio, quod iphi regulares servient Parochiæ. Vicarius perpetuus congiuam debet habere portionem, quam coniunctivat, & jura Episcopalia solvere possit; quod ut certius fiat, debet exprimi valor Beneficii uniti. Unio facta ob certa motiva, potest cessantibus illis motivis revocari; semperque revocanda est, si perniciofa fiat Religioni, si fraudentur Eleemosinæ, si tollatur hospitalitas. Exdem solemnitates requiriuntur in dissolutione unionis, quæ in unionis creatione servatae sunt. Revocata unione, res ad pristinum statum revertuntur.

Aliquando immutatur Ecclesiæ status, v. g. sacerdotalis sit regularis, vel regularis sit sacerdotalis, &c. Ea mutatio non potest fieri, nisi ad augendum cultum divinum. Sic Ecclesia simplex, v. g. Confraternitas erigitur in Capitulum Collegiale, Ecclesia Collegialis in Cathedralem, Episcopatus in Archiepiscopatum, Capitulum regulare sit sacerdotalis, vel sacerdotalis regulare. Ut Ecclesia simplex erigatur in Parochialem, requiritur, & sufficit autoritas Episcopi, & necessitas populi, quia si esset, si Ecclesia Parochialis non esset sufficiens ad continendam plebem. Curatus intra cujus Parochiæ limites erigitur nova Parochia, debet consentire; quia nova illa erection ad eum spectat: si damnum aliquod patiatur, debet compensari. Fundator erigens novam Ecclesiam Parochialem, debet sufficienes redditus destinare, quibus Ministri, & custodes Ecclesiæ nutriantur, luminaria, & alia Ecclesiæ necessaria suppeditentur. Ecclesia simplex potest erigi in Collegiatam, modo sit sufficiens numerus Ministrorum. Collegiales potest erigi in Cathedralem, modo alicui Episcopatu*m* uniatur. Episcopatus verò potest erigi in Archiepiscopatum, modo subjiciatur ei aliqui Episcopatus.

D E T R A N S L A T I O N E. Quando Ecclesia, vel hostium incursione impetratur, vel malorum infestatione gravatur, vel aeris intemperie male afficitur, potest ab uno loco in aliud transferri. Sic Episcopatus Magelonensis translatus est in montem-peßulanum. Ecclesia, à qua fit translatio amittit sua privilegia, eaque communicantur Ecclesiæ, ad

quām sit translatio: iii priori tamen Ecclesia relinquendus est vel unus, vel multiplex Presbyter, qui ei ministret; quippe quod est semel consecratum, profanum fieri nequit. Porro in Gallia nec unio, nec erectio, nec translatio fieri possunt sine consensu Regis, qui tanquam Ecclesiae Gallicanæ Patronus censendus est. Hactenus de modis acquirendi Beneficia ideò sit.

CAPUT SECUNDUM.

De Modis Conservandi Beneficia.

Præmium.

TU T Beneficium collatum conservetur, prod visiones, quibus obtentum est, debent esse I. Validæ II. Debent esse absque controversia, & litigio. III. Nulla debent dispensatione egere. Si verò è contra dubitetur de valore provisionum, recurritur ad rescriptum, quod dicitur: *Ad etiam & perinde valere;* quo rescripto fit, ut prior provisio, tametsi dubia, valeat. Si verò lis moveatur contra Beneficium, possessori Beneficii providetur per rescriptum *subrogationis*, quo rescripto fit, ut possessor Beneficii in jus litigan-
tis, si quod habeat, subrogetur. Si ad conservandum Beneficium opus sit dispensatione, recurritur ad dispensationem, quâ succurritur defectibus, qui in collatione, vel receptione Beneficii occurruunt. Ideoque h̄ic, agemus de rescripto, quod vocatur *ad perinde valere*, & de rescripto, quod vocatur, *quod rationi congruit*. **II. De rescripto subrogationis in litigio,**

ARTICULUS I.

De Rescripto ad perinde valere.

QUANDO dubitatur de provisionibus, huic defectui mederi possumus, vel pertendo quod nova detur provisio, vel quod prior provisio, quæ nobis apparat dubia, confirmetur, vel quod provisio, quam habemus dubiam, perinde valeat, ac si certa esset. Si Papa conferat novam provisionem, signum est nullam fuisse priorem provisionem; quippe quæ novâ eguit. Si Papa confirmet priorem provisionem, signum est eam validam fuisse. Si det rescriptum *ad perinde valere*, signum est Papam dedisse priori provisioni totum robur necessarium ad conservandum Beneficium. Petitur autem rescriptum *ad perinde valere*, quandò quis dubitat priorem provisionem: ex aliqua causa impugnari posse, qua tamen cautione per rescriptum *ad perinde valere* provisio dubia, & inepta, erit aquæ grma, ac si omnino valida esset. *Perinde valere*, toties peti potest, quoties mederi voluntus defectibus, qui occurrere possunt in collatione, & receptione Beneficii, ex quo cumque capite veniant illi defectus, sive ex parte conferentis, sive ex parte recipientis, sive ex parte ipsius Beneficii, v. g. Si obtinuerit Beneficium ab eo, qui non erat verus collator, putà à Rege, quod forte Beneficium non à Rege, sed à Capitulo conferen-

dum erat. Item si recepero Beneficium ante legitimam aetatem, vel Tonsurarius ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel illegitimus non expresso defectu natalium, vel si non Graduatus obtinui Beneficium, quod gradum exigit, vel si Professus Religionem ante tempus praefixum a Conciliis obtineam Beneficium praexigens Professionem Religiosam; his omnibus, & similibus defectibus succurritur per rescriptum, quod vocatur *ad perinde valere*, modo exacte, & fideliter exprimantur summo Pontifici omnes defectus, quibus volvamus, ut rescriptum summi Pontificis medetur.

Rescripto *ad perinde valere* affine est rescriptum, cui nomen *Rationi congruit*, eò quod per illas voces incipiat. Adhibetur autem istud rescriptum, quando Papa voluit aliquid concedere, & preventus morte non potuit, tunc eadem gratia ab ejus successore petitur; quia, ut vulgo dicunt, gratia facta per mortem Papæ non extinguitur, sed ab ejus successore conceditur; ideo rescriptum sic incipit, *Rationi congruit*, ait Papa, ut concedatur, quod prædecessor noster promisit, & hoc locum habet sive viva voce, sive scripto defunctus Papa promiserit, modo ea honesta sint, & non inhonesta, modo ea verè promiserit; nam si gratiam petitam recusasset, & eadem gratia nova supplicatione peteretur, reticendo quod hoc petitum fuit, sed denegatum, non valeret rescriptum.

ARTICULUS II.

De Rescripto Subrogationis in litigio.

SUBROGATIO nihil aliud est , quam in locum alterius litigantis suffectio. Possessor autem Beneficij in locum litigantis contra ipsum potest subrogari , vel morte , vel resignatione : morte quidem ; putà si pendente lite moriatur , qui Beneficium tibi possidenti , disputat; resignatione , si is , qui circa Beneficium à te possessionem tecum litigat , omne jus suum tibi resignet. Quod ut legitimè fiat , debent , quæ h̄c sequuntur , exactè observari . I. Recurrentum est ad summum pontificem , & singula , quæ litem motam circa Beneficium respiciunt , fidelissimè exponenda . II. Petenda est subrogatio , ne novus adversarius subrogetur , & lites crescant in immensum . III. Papa pro expresso habet statum causæ , si forte quid innocenter omissum sit . IV. Papa subrogat oratorem in omne jus litigantis , qui vel mortuus est , vel per resignationem juri suo renuntiavit . V. Addit Papa se velle subrogationem valere , non obstante quæcumque reservatione , vel comuni , vel speciali . VI. Afferit Papa se conferre non novum jus , sed jus illud omne , quos litiganti competebar . VII. Subrogatus non tenetur debita subrogantis solvere , nec fructus ab illo perceptos exhibere , nec expensas ab illo factas restaurare , nisi forte accepisset processum simpliciter , ut dicunt , onerando se scilicet & expensis , quibus posset damnari , si jure suo caderet , & incrementis , quæ lucrari posset , si collitigans li-

DE PRAXI BENEFICIARIA. 383
tem perderet. VIII. A Beneficio subrogatio-
nis excludendi sunt indigni. Indigni autem
sunt, primò intrusus, id est ille, qui Benefi-
cium sine titulo Canonico obtinuit. Secundò
qui impetravit Beneficium viventis, cuius
mors, vel propter senium, vel propter infi-
mitatem proxima sperabatur. Tertiò qui mo-
vit litem contra eum, qui per triennium Be-
neficii pacifice possedit. Quartò quicum-
que impetravit Beneficium sine debitiss conditionibus in trigesima quinta regula cancellariae contentis, putà quod impetrans teneatur exprimere nomen, gradum, nobilitatem possessoris, tempus, quo illud possedit, causam impetrationis, & quod teneatur infra sex menses cum adjudicium vocare.

ARTICULUS III.

De Dispensationibus, quibus Beneficia conservantur.

DISPENSATIO est provida juris rela-
xatio. Dispensatio est necessaria ad con-
servandum Beneficium, quoties Beneficium
retineri non potest, nisi fiat communis juris
relaxatio, putà permittendo, vel plura Bene-
ficia incompatibilia retineri, aut Beneficium
aliquod retineri ab eo, qui non habet ea, quae
requiruntur ad retinendum Beneficium, v. g.
non habet ordinem requisitum ad Beneficium
conservandum, vel patitur defectum aliquem,
aut natalium, aut corporis, aut mentis, qui
defectus impedit, quominus citrà dispensa-
tionem Papalem Beneficium retinere valeat:

in his singulis casibus necessaria est summi Pontificis dispensatio. Quandò autem hæc dispensatio reddat dispensatos tutos in conscientia, quandò vero non, diximus in primo tomo, ubi de lege. Cæterum nulla datur dispensatio, nisi præmissa ad summum Pontificem supplicatione, quæ motiva contineat dispensationis obtainendæ; cui supplicationi sic, aut simili modo responderet summus Pontifex.

De dispensatione ad duo, & super ætate. Dispensatio ad duo, & super ætate, sic habet: *Julius Papa, &c. Dilecto filio N. Nobilis genere procreato.* Exprimitur nobilitas; quia est motivum ad dispensandum, quippe utilis potest esse Ecclesiæ. *Ut te specialibus favoribus prosequamur.* Hæc verba significant, quod dispensatio actus est liberalitatis, & non justiciæ. *Hinc est quod nos te, qui, ut afferis, es de nobili genere ex utroque parente procreatus, & quinto decimo anno constitutus in universitate. N.* Studens actu, Parochialem Ecclesiam S. N. Diæcessis N. ex concessione Apostolica in commendam obtines. Tria hic afferit orator I. Quod sit nobilis, 2. Quod sit minor, quâ ætate Beneficia Parochialia obtaineri non possunt. 3. Quod actu studeat, ut fiat utilis Ecclesiæ, quæ singula instrumentis publicis coram summo Pontifice probari debent. *Tuis in hac parte supplicationibus inclinati permittimus, ut Beneficia incomparabilia, si tibi alias Canonice conferantur, valde recipere, & simul retinere licet posse, quoad vixeris, illaque simul dimittere, vel simpliciter, vel causâ permutationis, quoties tibi placuerit; & loco dimissi, vel dimissorum, aliud simile*

[DE PRAXI BENEFICIARIA. 389
simile, vel dissimile recipere valeas. Primo Papa dicit *beneficia incompatibilia*; quia ad plura Beneficia compatibilia non requiritur dispensatio, si recipiens sit aliunde capax. Secundo dicit, *si tibi Canonicè conferantur*; quia si collata essent non *Canonicè*, v. g. *Usurpata vi*, aut *dolo*, non valeret dispensatio. Tertio dicit. *Quoad vixeris*; quia Beneficium in titulum non datur ad tempus, sed ad vitam. Quartò addit Papa quod possit ea dimittere, vel resignando, vel permutando non secus, ac si nulla dispensatione egeret. *Consuetis tamen oneribus supportatis*; quia dispensatio qualiscunque sit circa Beneficia non eximit ab obligatione essentiali annexa Beneficio, qualis est, v. g. quod Parochiani instruantur, Ecclesiæ ornentur, Eleemosynæ dentur, &c. *Alienatione honorum immobilium, vel mobilium pretiosorum penitus interdicta*; quia dispensatio non facit dispensatum bonorum Ecclesiasticorum Dominum, sed tantum usufructuarium. Autoritate Apostolica tenore præsentium de specialis gratiæ dono dispensamus; quia Papa id facit autoritate quam Christus Apostolis, eorumque successoribus contulit; *proviso quod Beneficia incompatibilia propterea debitum non fraudentur obsequiis, & animarum cura nullatenus negligatur & onera Beneficii congrue supportentur*; quia istæ omnia sunt de jure divino, à quo per dispensationem nullatenus eximi potest Beneficiarius.

Dispensatio circa defectum natalium expli-
catur. Honestas postulat, ut illegitimi ad statum Clericalem non admittantur; nam si in lege Mosaïca homo de scorto natus ad Sacerdotium Aaronicum evchi non poterat, à for-

tiori id fieri non debet in lege Evangelica; id enim exigit dignitas Clericalis, id postulat atrocitas criminis paterni, & debita plebeis reverentia, qui insigni scandalō moventur, si illegitimum videant ad Beneficium Ecclesiasticum evehi, paternumque crimen in memoriam revocant, quotiēs illegitimi Clerici altari serviant. Sed quia aliquandò de scorto geniti utiles possunt esse Ecclesiæ; ideo cum illis dispensatur, sed ea cautione. I. Quod illegitimus dispensatus ab Episcopo ad Tonsuram recipiendam, & ad Beneficium simplex, v. g. ad Præbendam Collegialem, minimè verò ad dignitates, vel ad Præbendam Cathedralem II. Dispensatus à Papa ad maiores Ordines non dispensatur ad Beneficium, nisi de eo fiat mentio; & dispensatus ad unum Beneficium, non dispensatur ad alia, neque ad prælaturas is à quo tollitur defectus natalium per professionem religiosam, non ideo fit capax ad Prælaturas, & sublato per dispensationem defectu natalium, vel per professionem religiosam, non absolvitur ab irregularitate homicidii, nec per professionem, nec per dispensationem, nisi de ea fiat mentio. Demum quantacunque sit dispensatio, spurius nunquam dispensatur, ut Beneficium patris obtineat.

Dispensatio circa defectum corporis explicatur. Sicuti inhonestum est illegitimum ministare Ecclesiæ, ita decet deformem corpore ab altari removeri, quo circa vitiat corpora egent dispensatione, ut Beneficium obtineant. Si defectus sit exiguus, putà abscisio digitū, non pollicis claudicatio non difformis, dispensatio ab Episcopo dari potest: Si defec-

DE PRAXI BENEFICIARIA. 387
tus sit ingens dari potest à solo Papa , qui
rem committit examinandam Episcopo ; sic
enim habet formula dispensationis. *Manda-*
mus quatenus , si & postquam dictus. N. Coram
te personaliter se exhibuerit , oculum vel mem-
brum ipsum diligenter inspicias : & si , super quo
conscientiam tuam oneramus , ex hujusmodi ins-
pectione tanta deformitas in eodem oculo non
appareat , quod ex hoc possit in populo scandalum
generari ; ac aliud Canonicum non obstat : cum
eodem N. si secum super se dispensare contingat ,
ut quæcumque Beneficia , &c. Et recipere , &
quoad vixerit retinere liberè & licite valeat au-
toritate Apostolica tenore præsentium despeciali-
dono gratiæ dispensamus.

Explicatur dispensatio de non promovendo.
Qui habet Beneficium curatum , id est Eccle-
siam Parochialem , tenetur intra annum à pa-
cifica possessione computandum , quæ non ha-
betur , nisi transacta annali possessione , id est ,
tenetur intra duos annos ab institutione Ca-
nonica ad Presbiteratum evehi , quod si omi-
serit , Beneficium vacat. Dixi qui habet Ec-
clesiam Parochialem ; nam qui habet Episco-
patum , Abbatiam , Conventum , Capellam ,
non tenetur infra duos annos ad Presbitera-
tum evehi ; Curatus ergo qui voluerit non
promoveri supplicationem ad Papam diriger ,
cui Pontifex sic respondebit. *Julius Papa , &c.*
Ne ad aliquem ex sacris etiam Subdiaconatus ,
Diaconatus , vel Presbyteratus Ordinibus hujus-
modi te facere promoveri minimè tenearis ,
neque ad id à quoquam invititus valeas cogi . . .
Autoritate Apostolica de speciali gratiæ indulge-
mus , proviso quod Ecclesia debitum interim non
fraudetur obsequiis , & animarum cura in ea
non negligatur , &c.

Explicatur dispensatio circa male promotoꝝ.
 Qui malè promoti sunt ad ordines, putà quia sine dimissoriis sunt ordinati ab extra-neo Episcopo, vel quia sunt promoti ante le-gitimam ætatem, vel extra tempora à jure sta-tuta: hi omnes egent dispensatione, alias eorum Beneficia impetrari possent; quia Pius secundus voluit quòd prædicti omnes accep-tis Beneficiis possent privari. Oportet ergo ut supplicationem ad Papam dirigat, cui Papa responderet, concedendo gratiam quæ in sup-plicatione continetur.

Explicatur dispensatio de non residendo.
 Quando quis obtinet Beneficium personalem residentiam postulans, si ob causas non jure expressas velit personaliter à suo Beneficio abesse, debet dispensationem à Papa postulare, & eo fine ad eum supplicationem dirigere, quæ numquam à Papa admittitur nisi cum hac clausula, *proviso quod Ecclesia interim debit is non fraudetur Officiis*, Vide quæ supra diximus de residentia.

C A P U T III.

* Quomodo amittantur Beneficia.

IN hac tertia parte Rebussus agit de modis, quibus amittuntur Beneficia, putà de re-signatione, permutatione, &c. Sed quia nos de his omnibus fusè in superiori tractatu egimus, idèò huic materiæ finem imponimus.

In sequenti tomo agetur de variis homi-num statibus.

Domine Deus une, Deus Trinitas, quo-cumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui, si qua de meo, & tu ignoscè, & tui; Amen. Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 51.

ERRATA NOTABILIORA.

- P. Agina 3. linea 1. promissionis , lege pro-
missiones.
- P. 15. lin. 21. ludrica leg. ludicra.
- P. 29 lin. ult. uberrimo leg. ubertimos.
- P. 33. lin. 13. quod leg. quo.
- P. 34. lin. 12. consuerit leg. consuevit.
- P. 40. lin. 21. obvandis leg. observandis.
- P. 41. lin. antepenult. post ingenerat dele
punctum.
- P. 52. lin. 14. ab leg. ob , & lin. 22. post Jeru-
salem dele punctum.
- P. 60. lin. 13. Eleborica. leg. Eliberit.
- P. 72. lin. 5. factus leg. tactus.
- P. 79. lin. 26. tenemus leg. tenemur.
- P. 83. lin. 9. Epictetus leg. Epictetus.
- P. 93. lin. 1. reluctaret. leg. reluctaretur , &
lin. 3. carnis leg. carnes.
- P. 95. lin. 4. coenacula leg. coenula , & lin.
18. Ecclesiæ leg. Ecclesia.
- P. 101. lin. 17. inducere leg. induere.
- P. 104. lin. 12. Antonio leg. Antonino.
- P. 106. lin. 1. electuari leg. electuaria.
- P. 107. lin. 20. modium leg. modicum.
- P. 108. lin. 1. strictus leg. strictius , & lin. 29.
incurrat leg. incurvat.
- P. 109. lin. antepenult. medicantur leg. me-
deantur.
- P. 112. lin. 3. post possunt dele punctum.
- P. 113. lin. 7. post Sic adde si.
- P. 114. lin. 13. refectionum leg. refectionem.
- P. 119. lin. 3. orationes leg. oblationes.
- P. 121. lin. 5. bonis leg. pœnis.

- P. 123. lin. 24. intelligendi leg. infligendi,
& lin. 30. utitur leg. uritur.
- P. 128. lin. 23. formulas leg. formatas.
- P. 131. lin. 2. coercionem leg. coercionem.
- P. 140. lin. 21. utro leg. ultrò, & lin. ante-
penult. nerradicemus leg. eradicemus.
- P. 143. lin. 26. indigus leg. indignus.
- P. 153. lin. 25. Substratiis & perditis leg. Subst-
tuctis & perditis.
- P. 154. lin. 10. delegante leg. delegante.
- P. 162. lin. 9. quo, leg. quæ.
- P. 164. lin. penult. influxit leg. infixit.
- P. 168. lin. 17. commemoratur leg. commora-
tur.
- P. 169. lin. 1. Episcopum leg. Episcopalem.
- P. 181. lin. 22. affixionem leg. affixionem.
- P. 184. lin. 29. initio dele non.
- P. 191. lin. 22. monitoribus leg. monitionibus.
- P. 197. lin. 19. qui leg. quia.
- P. 199. lin. 21. habeat leg. habeant, & lin. 23.
ei leg. eis.
- P. 207. lin. 24. alienandæ leg. alienandis.
- P. 234. lin. 24. amante leg. amente.
- P. 241. lin. 3. maleficiens leg. malefaciens.
- P. 242. lin. 15. est leg. ex.
- P. 244. lin. 22. easque leg. eosque.
- P. 249. lin. 17. conceptione leg. correctione.
- P. 258. lin. 20. notorium leg. notoriā.
- P. 260. lin. 26. aliquid leg. aliud.
- P. 267. lin. 20. sententia leg. scientia;
- P. 268. lin. 12. sexti leg. secundi.
- P. 271. lin. 21. factam leg. facta.
- P. 275. lin. 14. expreſſè leg. expresso.
- P. 285. lin. 14. resignet leg. resignet.
- P. 292. lin. 26. post Beneficiorum adde non;

P. 315. lin. 31. Ne leg. vel , & ambientium.
leg. ambientium.

P. 351. lin. 15. post sunt dele quod.

P. 367. lin. 28. post Laicus dele punctum.

P. 369. lin 20. sive leg. de.

P. 370. lin. 20. quoquovis leg. quovis.

P. 372. lin. 18. isthac leg. isthæc,

